North Carr

X

C. d. 29

K K

16

D

27

DISSERTATIO INAUGURALIS ANATOMICA

DE

# BASI ENCEPHALI

ET

# ORIGINIBUS NERVORUM

## CRANIO EGREDIENTIUM

ROYAL MEDICAL SOCIETY
EDINBURGH
1778
8 & 9 CAVENDISH SQ.

QUAM

CONSENSU ORDINIS MEDICORUM GOETTINGENSIUM

PRO OBTINENDIS

SUMMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS

IN

*ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA*

DIE VII. APRILIS MDCCLXXVIII.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBIICIT

*SAMUEL THOMAS SOEMMERRING*

THORUNENSIS.

---

*GOETTINGAE,*

PROSTAT APUD ABR. VANDENHOECK VIDUAM.

ROYAL MEDICAL SOCIETY EDINBURGH

VIRO

ILLUSTRI EXPERIENTISSIMO

# JOANNI THOMAE SOEMMERRING

MEDICINAE DOCTORI ET PHYSICO THORUNENSI

DE CIVIBUS SUIS

PER QUADRAGINTA ANNOS OPTIME MERITO

PATRI INDULGENTISSIMO

D. D. D.

*FILIUS.*

VENERANDE PARENS!

Ut, quae nunc in publicum prodeunt, ſtudiorum meorum primitias hasce qualescunque TIBI inprimis offerrem, non una me res movit. TU enim, cum adoleſcentulum me, ſectionibus publica auctoritate inſtitutis, TVI comitem eſſe juberes, a tenera inde aetate ſtudii illius, quod in perveſtiganda humani corporis fabrica verſatur, amorem primus in me excitaſti: TU in iis artibus, quibus aetas juvenilis impertiri ſolet, erudiendum me praeceptoribus optimis tradidiſti: et cum ſatis TIBI hisce ſubſidiis inſtructus viderer, TUO juſſu Georgiam Auguſtam adire mihi contigit: TU praeterea per omne id, quod hic exegi, tempus, ne ulla in re a TE deſtituerer, pro paterno in me amore benevolenter curaſti, et cum Virum doctrina praeſtantiſſimum, et ob inſignem, qua me ſemper eſt proſecutus, humanitatem, pie a me ſemper colendum, Illuſtrem WRISBERGIUM nactus eſſem praeceptorem, tanto viro ut dignum me praeſtarem, litteris frequenter es exhortatus. En igitur, quod jure TUO jam a me deſideras, eorum, ſi qua ſunt, quae in anatomes ſtudio, cui totum fere me tradidi, profecerim, documentum; quam quidem animi mei pietate TIBI devinctiſſimi teſſeram qualemcunque, ut ſerena fronte

acci-

accipias rogo. Quodſi TIBI, qui medicinae dogmata ex ipſo *Boerhaavii*, *Albini*, *Hoffmanni*, aliorumque tum temporis in arte noſtra Illuſtrium virorum, ore percepiſti, labores hosce meos non plane improbari cognoverim, ſatis profecto praemii me retuliſſe putem. Equidem Deum optimum maximum perpetuis defatigabo precibus, ut TUAM DILECTISSIME PARENS, ſenectutem ad Neſtoreos usque annos producens, omnis generis proſperitate perfrui TE largiatur. Mihi vero, meisque ſtudiis, quorum perficiendorum cauſa, ut ex aliorum quoque gentium in his rebus divitiis fructus mihi colligere liceret, benevole indulſiſti, ut et in poſterum favere non dedigneris, ea qua par eſt pietate et obſervantia rogo

NOMINIS TUI

CULTOR DEVOTISSIMUS

*SAMUEL THOMAS SOEMMERRING.*

# LIBER PRIMUS

CONTINET

PRAEMONENDA

DE

NERVORUM DIVISIONE, ORDINE,

ET

QUORUNDAM SINGULARI FABRICA,

DE

SECTIONE ENCEPHALI VERTICALI

ET

METHODO SCRIBENDI.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30526334

# LIBER PRIMUS.

Quod ſpeciminis loco tractandum ſuſcepi Thema de originibus nervorum, tam ſui dignitate praeſtantiſſimum eſſe, quam jucunditate et utilitate maxime ſe commendare, neminem profecto, vel leviori rerum anatomicarum cognitione imbutum, in dubium vocaturum eſſe arbitror. Quocirca non poſſum non vehementer mihi ipſi gratulari, ab *Illuſtri Praeceptore* WRISBERGIO prae ceteris eius diſcipulis mihi inprimis illud demandatum fuiſſe. Huius enim *Viri*, cui, quicquid in anatomicis profecerim, debeo, auctoritate, eo majori diligentia animum ad rem tractandam appuli, quam nondum ſatis accurate illuſtratam fuiſſe, celeberrimi in noſtra arte Viri dudum doluerunt. Ut enim alios taceam, liceat mihi ad MEKELII & CAMPERI ſententiam provocare; quorum ille fatetur *a) difficile eſſe aliquid ad cerebri hiſtoriam addere, niſi nervorum origines excipias*; hic vero in Epiſtola illa celebri ad B. S. ALBINVM *b*), qua promittit, ſe in Libro tertio Demonſtrationum anatomico-pathologicarum iconem baſeos cranii, et nervorum veras origines exhibiturum, *nullibi enim quod ſcio*, inquit, *accurate traduntur nervorum origines.* Tantorum Virorum auctoritate, de propoſiti noſtri utilitate perſuaſus, (parum enim curo, quod praeterito anno Auctor quidam, ab omni ſane anatomes ſtudio quam maxime alienus, non erubuit ſcribere, cognitionem fabricae cerebri

*a*) Memoires de l'Acad. de Berlin Ann. 1765. pag. 91.

*b*) 1767. p. 15.

bri omnino inutilem esse) has minus cognitas anatomiae partes, quantum in me esset, supplere constitui. Jamque fere per biennium labores ad cerebri fabricam pernoscendam impenderam, antequam de SANTORINI tabulis, a GIRARDO editis et ni fallor ab ipso HALLERO in novis litterariis Goettingensibus MDCCLXXVII. *c*) maxima cum laude recensitis, quicquam mihi innotesceret, parumque aberat ut consilii mei me poeniteret, nisi *Ill. Praeceptor dilectissimus* WRISBERG coepta pergere me hortatus esset. Quod SANTORINI opus, hucusque me quantumvis data opera non vidisse justissime doleo.

Mirandum sane nostris inprimis temporibus, et in theoretica, et in ipsa quae dicitur practica medicina ab innumeris fere scriptoribus de nervis eorumque consensu disputari, quorum nonnulli, qui nunquam nervorum in ipso cadavere fabricam perveștigarunt, sed Sybaritarum more, se dissectiones odisse gloriantur, delirantium fere ad modum, eidem semper ideae inhaerentes, quaecunque in pathologicis explicare nequeunt, omnia ad nervorum mirabilem absconditamque naturam referunt, parum tamen de illorum originibus solliciti, et immemores plane eorum quae *perill.* HALLER monuit *d*): *In cerebro potius, eam coniunctionem quam in nervis locum habere, vel ex ipso sensu coniici posse, quem anima percipit, et qui nullus esset, nisi ad cerebrum impressio illa perveniret.* Mirandum profecto, quum in quorundam nervorum distributione tradenda clarissimi desudaverint Viri, adeo, ut vix subtilior delineatio et de-

*c*) Zugabe 5tes Stück.

*d*) Elem. phys. Lib. X. Sect. 7. §. 24. sive Tom. IV. p. 322.

deſcriptio cogitari queat, in originibus illorum perveſtigandis eandem diligentiam adhibitam non fuiſſe, finesque nervorum prius quam illorum ortus, et accuratius determinatos eſſe; atque hoc eo magis mirandum, quo minor in originibus, quam diviſionibus nervorum naturae inconſtantia reperitur; vix enim ſatis notabilis occurrit in illis cerebri partibus, e quibus primum emergunt nervi; vix alio quam ſolito prodeunt loco; vix ullibi in nobiliſſima corporis parte, cerebro ſcilicet, iidem naturae luſus, qui v. c. in venarum deſcriptione non minimas pariunt difficultates, inveniuntur. At alia non minus non deſtituta eſt difficultate cerebri adminiſtratio anatomica; dudum enim iam annotavit HEBENSTREIT *e) ob mollitiem ac tenerrimam partium ſubtilium admodum texturam, dexteritatem anatomicorum magnopere exercere*, et juſte queritur GÜNZ *f) forte quod anatomici cerebri imperiti eſſent, et quod gravitate ſua ſponte planiuſculum fiat diſſenſus auctorum cauſſam dediſſe.* Quod qualecunque incommodum licet magna ex parte liquore illo e nitri et vini ſpiritu mixto, ut ALEX. MONRO ſuadet g), tollatur, alio tamen haec methodus laborat mendo, nam praeterquam quod cerebri molem paulo contrahit, ſcalpellisque rodendo nocet, piamque matrem craſſiorem reddit; cineream cerebri ſubſtantiam, ita albicat iſte liquor, ut v. c. primi nervorum paris origines, a gyro illo e quo

*e*) Progr. de methodo incidendi cerebrum. Lipſ. 1738.

*f*) Progr. I. de cerebro, Lipſ. 1750. pag. IV.

*g*) Medical Eſſais Vol. III. vel in EIVSD. tentaminibus circa methodum animantium partes affabre injiciendi a I. BONEGARDE L. Bat. 1741. editis, quod ſcriptum in germanicam linguam translatum, annexum eſt D. I. H. SCHVLZE Abhandlung von der Steinkur, Frankf. u. Leipz. 1740. Sexta etiam parte minorem ſpiritus nitri quantitatem ſufficere animadverti.

quo propagines alias luculentiſſimas ducunt, vix diſtinguere poſſis, atque eam quae a diverſo colore naſcitur corporum pyramidalium a reliqua medullae ſpinalis ſubſtantia, et centri gemini a Thalamis differentiam in totum fere tollit, quod multoties in brutorum hominumque cerebris expertus ſum.

Praeterea tironibus cerebri fabricam cognoſcere cupientibus taedium parere ſolent, ſumma rerum quarundam confuſio, fictiones admodum variae, delineationum ſatis probatarum defectus, nominum partibus cerebri dicatorum ineptiſſimorum praeter neceſſitatem auctus numerus. Nonnulli enim brutorum encephalon ſedulo perquirentes, cum partibus deſcriptis nomina quae ipſis aptiſſima videbantur inderent, ea ex brutis deſumta eſſe, monere, vel neglexerunt, vel ſtudio omiſerunt. Has deſcriptiones ſecuti alii, qui in homine easdem partes quaerebant, cum aliter illas ſe habere reperirent, nec nomina omnino ipſis competere intelligerent, aliis nominibus inſignierunt; hasce ex animalium diſſectione primum natas, deinde humanorum capitum inſpectione correctas deſcriptiones, aliis denuo (vel quod deſtituerentur hominum cadaveribus, vel quod parum referre humano, an vitulino cerebro utaris opinarentur) ad brutorum cerebra emendare placuit; multi denique anteceſſorum fidem ſecuti, et naturam ipſam conſulere negligentes, conflatas illas e brutorum hominumque cadaveribus annotationes pro veriſſimis humani cerebri deſcriptionibus venditarunt. Qui ſi forte ab aliis arguerentur, ut errores ſuos tegerent, mire verbis diſtortis, multa ſibi viſa eſſe finxerunt, pertinaci animo ſententiam deſerere nolentes. Hinc tanta rerum verborumque ob-

orta

orta eſt confuſio, ut ni in perveſtigandis et hominum et animalium cerebris probe ſis exercitatus, quosdam vel plane non intelligas, vel ab ipſis te abripi patiaris. Sic quidam v. c. rete mirabile in homine non reperientes, ne veterum auctoritatem laederent, ad alias partes (plexum choroideum, vel ſurculos illos, quos arteria carotis ad glandulam pituitariam dictam ſpargit) transtulerunt, eoque modo GALENVM ſuum, quem perdite amabant, ab omni erroris ſuſpicione liberari poſſe egregie exiſtimaverunt. Certiſſime etiam perſuaſum habeo, ſi tubercula quadrigemina in homine tantum ſpectaſſent, nunquam ſpurcum *natium teſticulorum*que nomen illis indituros fuiſſe.

Disquiſitionem vero hanc anatomicam, de originibus nervorum etiam Pathologiae uſibus inſervire, non eſt quod demonſtrem, GALENO iam dicente: *Medicos illos melius neruorum motum et ſenſum deperditum curaturos, qui ex anatome eorum principia et diſtributiones didicerint*, quem GALENI locum vir in theoreticis, et practicis aeque clarus, cuiusque inſignes laudes, ſaepius ab Ill. Praeceptore WRISBERGIO in ſcholis celebratas audiui, Ill. CAMPER *h*) noſtra aetate, ſua confirmavit auctoritate. Et *foecundam originem neruorum probe conſideratam, in explicandis variis adfectionibus, largiri meſſem* Ill. ISENFLAMM *i*) propria experientia edoctus ſcribit, neque probabilitate deſtituitur, ſaepe circa has origines, vitiorum morborumque vix explicandorum latuiſſe cauſſas, ab illis qui minus in ſubtiliori anatome cerebri eruditi ſunt, uti vulgus medicorum eſſe ſolet, ſane nullo modo detegendas *k*).

Equi-

*h*) Demonſtr. anat. path. L. I. p. 9.
*i*) de difficili in obſervat. anat. epicriſi commentatione tertia §. 20.
*k*) Sic nuperrime Ed. SANDIFORT

Equidem deſcriptionem nervorum mere anatomicam exhibiturus, omnia ea, quae forſan ad phyſiologiam vel morborum hiſtoriam illuſtrandam inſeruire potuerint ſtudio omiſi, nec ultra ea, quae oculi et culter docebant, diſputationis huius limites extendendos eſſe cenſui; verendum enim erat mihi ne forte, quod in eiusmodi explicationibus raro vitari, etiam a viris juvenilem meam aetatem longe ſuperantibus, conſtat, neglecta veritate ingenio nimis indulgerem.

Praetermiſſis itaque hisce omnibus, ad ea, quae in univerſum de nervorum encephali originibus valent, me converto. Oriri omnes e medullari cerebri parte, ut rem ab omnibus anatomicis conceſſam, non annotarem, ni recentiſſimis temporibus I. Ph. Marat *l*) *in libro de homine*, ſententiam olim ab Eraſiſtrato juvene defenſam, ſed ſequente aetate ab ipſo refutatam, denuo in medium protuliſſet: ſcilicet nervos a membranis cerebrum involventibus oriri, quam opinionem cum autopſia facillime refellat, impugnare hic merito ſuperſedeo. Neque vero quisquam exſpectabit modum, quo cerebri vaſcula ſanguifera transeunt in nervos *m*) a me explicatum iri, neque etiam, an extra

FORT in obſervationibus anatomico pathologicis L. B. 1777. editis Cap. IX. a duro quodam corpuſculo origini nervi auditorii dextri adhaerente, ipſumque comprimente, non absque probabilitate ſurditatem productam eſſe, delineatione adjecta tradidit.

*l*) de l'homme, Amſt. 1775. 8.

*m*) quod minime, ut multis viſum eſt, recentior aetas invenit, quum Praxagoras (ut apud Galen. Plac. Hipp. et Plat. L. I. Cap. 6. edit. Charter T. V. p. 80. exſtat) arteriarum minimarum in nervos tranſitum manifeſte docuerit. Minime vero Ruyschii ſollertiſſimi naturae ipſius ſcrutatoris, qui narrante B. S. Albino (annot. acad. L. I. cap. XII) *Corticem ex meris arteriis conſtare, ſibi inter omnia, quae in C. H. invenerit palmarium putavit eſſe*, gloria hisce minuitur.

extra cerebrum in reliquo corpore ex minutiſſimis vaſculis oriantur, nec, an mera nervi conſtent, ut nonnullis placuit, tela celluloſa, huius loci eſſe puto inquirere, et argumenta in utramque partem prolata ventilare.

Quae vero ad genuinam, ſecundum NICOLAI STENONIS ſententiam, magisque ſecuram diſſecandi cerebri methodum, quae ſcilicet nervorum filamenta trans cerebri ſubſtantiam revelando procedit, ut qua via decurrant, quave ſe condant, ſedulo obſervetur, forſan contulerim, aequi lectoris iudicio committo.

Pauca tamen, quae ad diviſionem nervorum generalem, quoad origines et ſubſtantiam, pertinent, quaſi per ſaturam commemorare mihi liceat. Vetuſtiſſimis temporibus nervos *molles* a cerebro, (et inter hos *molliores* a cerebri anteriori parte, *minus molles* a poſteriori) *duros* autem a medulla ſpinali oriri, ſcriptum eſt; quod alii illis temporibus ita interpretabantur, ut crederent, e cerebro anteriore *ſenſorios*, ab interiore et poſteriore *motorios* oriri, et quo breviori via decurrant, eo molliores etiam eſſe. Alii cerebrum pro appendice inutili (vel efflorescentia ut vocant) medullae oblongatae tantum, alii vero contraria his ſententia medullam oblongatam pro nervo maximo, (i. e. cerebri appendice) habuerūnt. Alii medullam ſpinalem ſolum omnium nervorum principium dixerunt; aliis, nullos e cerebro *n*), aliis, nullos e cerebello prodire viſum eſt. Alii oculatiores,

*n*) Horum in numerum nullo modo, licet praeterito ſaeculo a multis factum ſit, refero, notiſſimam Ariſtotelis anatomici exercitatiſſimi, phi-

tiores, omnes nervos, e glandula pineali, alii ex ponte, alii e corpore calloſo (quem quidem errorem LANCISII ſolide refutavit ZINN *o*) et quantum a veritate abhorreat per ſingula nervorum paria demonſtravit) alii e cavitatibus cerebri, alii e ſolo ventriculo quarto (quam ob rem et *nobilis* nomine dignarunt), alii e medulla oblongata, alii e corporibus ſtriatis, ut unico nervorum fonte derivarunt. Sed haec hypotheſin redolentia et refutatione indigna, praetermitto, neque etiam nominibus argumentisque ſcriptorum, qui diverſas hasce theorias vel foverunt, vel impugnarunt, utpote alibi facile reperiundis immorabor.

Alii, ratione *uſus*, nervos in ſenſorios, & motorios diſtinxerunt, quorum alteri duriores, alteri molliores eſſent *etenim ea de cauſa*, dixerunt, *nervos, qui organis ab aëre afficiendis inſerviunt, molliores eſſe, quod aër vim tantam in organa illa exſerere non poſſit, quam corpora dura.* His vero e directo oppoſitum eſt effatum ALEX. MONRO *p*) *nervos muſculares aeque molles ac ſenſatorios eſſe*, neque prior ſententia a GALENO *q*) refutata non displicuit HEUERMANNIO & AIME MATHEI. Triplicis vero generis eſſe, alios nempe ad ſenſationem, alios ad vitam, alios ad motum ſuſtentandum pertinere, GALENVS auctor eſt. Alii, nervos omnes vel cerebrales vel ſpinales eſſe exiſtimarunt; quae diviſio ſi admittenda eſſet, nervus vagus, & lingualis medius, (vul-

philoſophi ſubtiliſſimi ſententiam, ſcilicet *nervos a corde oriri.* Haec enim, quae multas rixas concitavit, minime abſurda videtur ſententia; ſed hunc virum cordis dignitatem perſpicientem credo indicare voluiſſe, (prouti et ante me alii haec verba explicarunt) cor mediante cerebro nervorum principium eſſe.

*o*) Diſſ. inaug. experimenta circa corpus calloſum &c. facta, pag. 15.

*p*) Nevrologia ex edit. COOPMANNS. p. 13.

*q*) de locis affect.

(vulgo octavum et nonum par) ſpinalibus annumerandi eſſent, qui tamen ab omnibus in hac diviſione ad nervos cerebrales inepte ſatis referuntur. Nervum enim gloſſopharyngaeum, octavum, et nonum, manifeſte ad ſpinales pertinere, haec fere quae cum reliquis ſpinalibus communia habent demonſtrant: I.) ſemper e medulla ſpinali ipſa prodeunt, quae ſulco quodam a ponte profunde ſatis dividitur (obiicienti, hos nervos non a ſpinali, ſed ab oblongata medulla oriri, reſpondeo: immerito a medulla ſpinali medullam oblongatam proprio nomine diſtingui, dudum iam ab aliis annotatum exſtare). II. multis fibris oriuntur. III. hae fibrae mox collectae, coaleſcunt in unum truncum. IIII. ad nervum ſympathicum maximum conſtituendum ſurculos edunt. V. poſſis addere, quod nullo alio muneri niſi motui et tactui ſoli praeſint, eodem modo quo reliqui omnes ſpinales nervi. VI. a nervis cerebralibus in eo differunt, quod, cum hi unice fere faciei, et reliquae capitis anterioris parti dicati eſſe videantur, illi longiſſimi ad alias migrent partes. Qui enim vulgo venditantur nervorum ſpinalium characteres, quod 1) duplici filamentorum ſerie oriantur, et 2) in Ganglion (quod tamen ſaepius Hallervs, Asch et Lobstein in cervicali primo, qui nemine contradicente nervus ſpinalis eſt, deſideraruntt) intumeſcant; et 3) quod ligamento denticulato fibrarum ſive radicum anterior ſeries a poſteriori ſerie ſeparetur; vix naturam ipſam nervi ſpinalis conſtituere, ſed potius e loci diverſitate pendere mihi videntur. Quae inde etiam probantur, quod hisce tribus attributis vere ſpinalis nervus, is nimirum, qui dicitur

ad par vagum acceſſorius, deſtituatur. Hisce accedit ea obſervatio, quam benevole ill. WRISBERGIUS mecum communicavit, ſcilicet, *nervorum ſpinalium, ex infima medullae ſpinalis parte prodeuntium duplicem filamentorum ſeriem ligamento denticulato non ſeparari, cum ad hanc profunditatem non pertingat.*

Alii nervos in cerebrales, pontis, cerebelli, et medullae ſpinalis diſtinguunt.

Jam ab antiquiſſimis porro temporibus perſpectum eſt, nervum ſingulum, imparem (azygum) non adeſſe, nam licet etiam medullam ſpinalem, ut nonnulli voluerunt, nervum maximum dixeris, omnino duplex erit hicce nervus; ſemper enim duabus partibus, arcto telae celluloſae nexu junctis, compoſitus (quod in infantum cerebris luce clarius conſpicitur) rima vero quadam, has duas partes a ſe invicem ſeparante, profunde penetrante diviſus apparet; unde nomina *συζυγια*, *ζευγος*, *zyzygia*, *coniugium*, *combinatio*, *ſocietas*, *coniugatio*, *par nervorum*, quod vero *apophyſin* nervorum CAR. STEPHANUS vocat.

De numero horum parium, intra cranii cavitatem ex encephalo prodeuntium, diverſis temporibus varie exiſtimarunt viri docti. MARINUS ſeptem ſtatuit, cuius ſententiae GALENUS et tota anatomicorum, paucis admodum exceptis, cohors usque ad WILLISII acceſſerunt tempora. ALEX. ACHILLINUS quartum noſtrum primus diſtinxit, NICOL. MASSA primo pare numerum auxit, FALLOPIUS octavum ſuum (quartum noſtrum) addi-

addidit, COLUMBUS novem numerat paria, partem quinti octavum par et quartum noſtrum nonum dictitans, F. PLATER vero primus decem paria conſtituit, quos pauci ſequuti ſunt. Neque hoc loco praetereundus eſt EUSTACHIUS, qui in tabulis ante WILLISII tempora omnia prouti hodie traduntur exhibuit. Mire alii res confuderunt, (quorum nomina, quae infra in ſingulorum nervorum hiſtoria reperies, hic recenſere operae pretium non foret) donec WILLISII liber miram felicitatem nanciſceretur, ut ad noſtra usque tempora, nomina ab ipſo uſurpata, auctoritatem quandam retinerent, adeo ut vix ulli ab eius numero recedere auſi ſint. Praeter enim eius par decimum, quod ad ſpinales praeſtantiſſimi ſaeculi noſtri anatomici retulerunt, vix quidquam memorabile in eo mutatum eſt, idque eo minus, quo minore ſucceſſu BIDLOO, in conſtituendis duodecim paribus (fibras vagi paris absque neceſſitate, et nefando errore ad quatuor parium dignitatem evehens) et CAR. A BERGEN ramum pterygoideum nervi quinti anaſtomoticum cum duro pro diſtincto pari venditans, uſi ſunt. BIDLOONIS enim vitia jam a coaevo plagiario COWPERO correcta, et CAR. A BERGEN *r*) nervi, quos ad novem paria non relatos eſſe exiſtimabat, (licet ex parte omnino laudem mereatur, ob nervi gloſſopharyngaei ſcilicet callidam ab octavo pare ſeparationem) ab omnibus fere rejecti ſunt. ANDERSCH vir acerrimi ingenii, et increcuſum reperies in HALLERI Diſp. anat. Vol. VII.

*r*) Progr. de nervis quibusdam cranii ad novem paria hactenus non relatis, Erfti ad Viadr. 1738. 4. re-

credibilis in ſecandis cadaveribus dexteritatis, gloſſopharyngaeum ſeptimo et vago interſerit, octavumque vocat; hinc decem paria numerat, ultimo quippe loco nervum lingualem medium recenſens, qui decimus ipſi eſt; neminem autem adſtipulatorem nanciſci potuit, quum eius praeclariſſimum opus (quod quanti pretii ſit, ab *Ill.* WRISBERGIO ſuſcepta eius continuatio proxime in publicum proditura omnium optime declarat) imperfectum adhuc jaceat, pauci illud viderint, pauciorumque in manibus ſit; SABATIER, an ſatis juſte, diiudicare nolo, decem WINSLOWII paria retinet.

Plura ea de re videſis in Diſſ. HALLERI de vera nervi intercoſtalis origine, in nota ad §. IV. *s*), cui notae, ea quae modo recenſuimus ſupplementi loco inſervire poſſunt.

Diu dubius haeſi I.) an numerum parium nervorum cerebri, gloſſopharyngaeum ab octavo, et nervum auditorium mollem a duro ſeparando, ita immutarem, ut, nervum communicantem faciei ſeptimo relinquens loco, nervum auditorium (vulgo mollem) octavo et ultimo loco recenſerem. II.) an nervum gloſſopharyngaeum primum ſpinalem, vagum par ſecundum, et lingualem medium tertium ſpinalem vocarem, nec aliis in deſcribendo nominibus uterer.

Sed ut a propoſito ex parte recederem conſilio, auctor mihi

*s*) recuſa eſt ea diſſ. in eiusd. diſputationum anat. ſelect. Vol. IIdo p. 943.

hi fuit dilectiſſimus Praeceptor WRISBERG, amice monens, ſatius in praeſenti eſſe in argumentis, quae in favorem huius immutationis dici poſſent, recenſendis ſolummodo acquieſcere, quae etiam ſuo quaelibet inſerta loco invenies.

Pro craſſitie diverſa, ita fere ordinanda eſſe cenſeo ſingula haec e cranio prodeuntia paria, ut primum quidem locum obtineat

nervus quintus, quem deinceps magnitudine excipiunt,
n. opticus,
n. tertius,
n. auditorius,
vagus,
lingualis medius,
communicans faciei vel ſeptimum par,
ſextus,
gloſſopharyngaeus,
quartus.

Neque hoc loco alienum erit commemorare, quae recentiſſima aetate de decuſſantibus ſe invicem nervorum paribus denuo mota ſunt, cuius rei prima fere veſtigia apud ARETAEUM CAPPADOCEM *t*) invenimus, quem locum integrum allegare liceat, ut eo melius, quomodo illius dicta exornarint recentiores, eluceat. Dum enim ſymptoma, quod affecto uno latere alterum doleat, explicare ſtudet, quodque nervorum initiis permutatis

*t*) Edit. Boerhaavianae p. 34.

tatis evenire credit, neque enim, ait, dextros nervos in dextras partes ſecundum rectum usque ad extremum progredi, ἀλλ' ἔμφυτα τῇ αρχῇ ἔπασα εὐθὺς ἐπ' ἐπεῖνα φοιτῇ ἀλλήλοισι ἐπαλλαξάμενα εἰς χιασμὸν σχήματος, *ſed ab initio enati*, inquit; *protinus ad oppoſitos transeunt, ſe invicem permutantes in figuram dictam chiasmum* (i. e. quae repraeſentat litteram graecam X.) PETR. PETITUS in animadverſionibus ad hunc locum, ab HIPPOCRATE libr. VII. epid. id deſumſiſſe ARETAEUM indicat. Hac de re ſequenti tempore acriter diſceptatum fuit, ſed miſſis illis, qui vix anatomica diſſectione, nec niſi ratiociniis parum firmis has lites dirimere conati ſunt, id tantum noto, nec SANTORINO ſummo hanc hypotheſin forſan displicuiſſe, eam enim, quam p. 61. *obſervationum ſuarum anatomicarum* ſibi viſam tradit, cerebri fabricam, quantumvis inquirenti mihi videre hucusque non contigit. *Ex crebris*, inquit, *obſervationibus conſtare, eum eſſe nervorum poſitum, ut qui in dextra cerebri parte oriuntur evadant in ſiniſtra, - - quod nos*, pergit, *poſt Valſalvam ſaepiſſime comperimus, quod tamen iam* 1581. G. F. HILDANUS *animadverterat - - nos ſic eam* (rem) *luculenter conſpeximus, ut nullus amplius de hac re dubitandi ſit locus.* Neque eius ſententiam ab aliis, obſervationibus nempe anatomicis, admodum confirmari vidi; etenim quae SABATIER *u*) habet: Il paroit demontrè, que tous les autres nerfs s' entrecroiſent a leur origine, et que ceux qui naiſſent du côtè droit paſſent au côtè gauche, vix propria obſervatione anatomica niti, credo.

Haud

*u*) Tome III. p. 432.

Haud adeo longe nervos ab ea ſede provenire, quam ſollertia anatomicorum demonſtravit, ZINNII profectoris ſubtiliſſimi ſententia eſt *v*).

Optaram equidem, ulterius origines ut mihi detegere licuiſſet, et ex ipſa ſi potuiſſem medullae cerebri ſubſtantia ſingulorum paria repetere, ſed a cultro hic deſtitutus nefas duxi quidquam tradere, quod oculi non commonſtrarent, ſed ratiociniis tantummodo et conjecturis niteretur, indefeſſa tamen opera, ubicunque dabitur occaſio, in hanc rem ulterius inquirere, et ſi quid forte notatu dignum detegere contingat, fida narratione publice communicare non negligam.

Nec mihi hoc loco praetereunda eſſe videtur anatomicorum quorundam (in quibus et VESLINGIUS in egregiis obſervationibus anatomicis Nro. VIII.) obſervatio; in capite infantuli nervorum paria, magnitudine dispari, ut in adultis, fuiſſe. Equidem non nego, in adultis ſaepius me vidiſſe origines nervorum lateris dextri, potiores fuiſſe ſiniſtris, et quod iam Ariſtoteli annotatum eſt, dextra et in animalibus fortiora eſſe, id ipſum in cadavere canis confirmatum me videre memini; at in infantibus, quorum multoties cerebra, non deterritus eorum mollitie, ea qua par eſt induſtria perluſtravi, vix ſat notabile quoddam diſcrimen inveni *x*).

Sed

*v*) Diſſ. quae experimenta circa corpus call. &c. inſtituta ſiſtit §. 7.

*x*) Arteriam vertebralem dextram quidem, conſtanti fere exemplo, ſiniſtra longe maiorem fuiſſe vidi, quam tamen ſemper in infante alteri aequalem reperi, ita ut nullo modo ſiniſtram dextra, vel hanc illa, minorem eſſe quis dicere poſſet. Utriusque rei exempla e cadaveribus de-

Sed de cerebro infantum mentione facta, alia, quae forte ſuboriri poſſit, quaeſtio jam indicanda eſt; quo primum tempore ſcilicet diſtincta appareant in foetu humano nervorum paria.

Propriis hac in re deſtituto obſervationibus, neque aliorum in ſcriptis (rariſſime enim embryonum humanorum exactiores inſtitutae ſunt diſſectiones) quicquam ea de re fuſius traditum eſſe cernenti *y*), ea ſolummodo certa fide allegare liceat, quae *Ill. Praeceptor*, cui pleraque bona noſtrae diſſertationis debentur, in deſcriptione embryonis humani, unico fere ſcripto, ſubtilioris anatomiae et ſummae in incidendo dexteritatis perpetuo documento, communicavit - - *in foetu trium circiter menſium, filamenta albicantia diſtincte exeuntia nervos ſine dubio eſſe z*), *et in alio* $5\frac{1}{2}$ *menſium foetu jam nervorum productiones admodum diſtinctas obſervavit a*). Quas differentias in foetibus vel partu nimis praematuro editis, vel in ipſo partu enecatis, vel paulo poſt partum mortuis, vel in illis, qui paulo ſerius diem ſupremum obierunt, vel denique in puerorum encephalis, quoad ſingulas nervorum origines, a me ipſo obſervatas in ſpecialiori illorum hiſtoria narrabo.

His praeterea alia liceat adhuc adiicere non inepto forſan loco proferenda.

Primo:

deſumta coram nunc habeo. Cui annotationi Ill. Praeceptoris WRISBERGII etiam obſervationes frequentiſſimae, meis convenientes, inſigne momentum addunt.

*y*) Ea enim quae SCHRADER in obſſ. et hiſtoriis e G. Harvaeo. Cap. 2. MALPIGHI, aliique ad cerebrum pullorum incubatorum ſenſim ſe perficiens tradiderunt, vix ad hominem, cuius de cerebro ſcribo, transferre lubet.

*z*) l. c. p. 33.

*a*) l. c. p. 45.

Primo vix ullibi annotatum me legere memini, maxima quamvis dignum attentione, cuiusque per ſingula animantium genera exactior definitio, nec injucunda, nec inutilis meditatio mihi futura eſſe videtur, encephalon humanum, maximum ſane, ſi cum quovis animalium v. c. equino vel canino encephalo comparetur, exiles gracilesque nimis pro mole ſua nervos emittere. Nam ſin etiam mittam, medullam ſpinalem, quae in quibusdam animalibus cerebri molem vel aequat, vel ſuperat, e cerebro egredi, ut nervum maximum; reliqui decem nervi e cerebro equi egredientes plus decuplo ſuperabunt ſimilem ex iisdem nervis humani cerebri comparatum faſciculum; Quantum autem encephalon equi, humano, cujus ne dimidiam quidem partem aequat, magnitudine diſtat! Quodſi itaque negari nequeat, brutorum cerebrum emittendis, qui e cranio eorum exeunt, nervis ſufficere, ſimul patet, humano encephalo maiorem, quam quidem ad origines nervorum neceſſaria eſſe videtur, ineſſe maſſam; vel quod eodem redit, ſi tibi fingas, a bruti cuiusvis encephalo proportionatam nervorum cerebralium magnitudini auferri quantitatem, vix quicquam de cerebri maſſa ſupererit; idem ſi in humano fiat, tantum aberit, ut cerebrum conſumatur, quin potius vix quinquageſimam eius partem deſideres. Hypotheſin vero huic utpote vere anatomicae, e frequentiore cerebri hominum et brutorum contemplatione natae obſervationi ſuperſtruere eamque exornare huius non eſt loci. Eam tamen ad rem clariorem reddendam, conſtitueram primo, quae parata habeo, variorum animalium diſſectorum cerebra, quoad origines nervorum delineata et deſcripta, et cum humanis comparata huic diſſertationi annectere; ſed verens ne

praeſcriptos libelli limites nimis excederem, hisce ex anatome comparata deſumtis obſervationibus abſtinui.

Secundo: miſſis omnibus, quae vix anatomica inſpectione demonſtranda, ſubtiliter paſſim diſputata ſunt, hoc ſolummodo propria disquiſitione ortum annoto: Nervos peculiari ſenſui dicatos, uti variant ratione objecti, quod animo repraeſentant, ita pari modo ab invicem ratione originis et fabricae, oculis detegendae, quodammodo diſcedere; hinc olfactorius *in ipſa origine* ab optico, hic ab auditorio viciſſim ab olfactorio recedente, differunt; hic vero diverſus, ut ita dicam, oriendi modus, cum aegrius quidem picturis verborumque ambagibus illuſtretur, naturam vero ipſam conſulenti luculentiſſime pateat, in ſingulorum nervorum pertractatione fuſius a me explicabitur; veritatem vero huius aſſerti vel fugitiva tabulae primae et ſecundae inſpectio confirmabit. Attamen his tribus paribus proprium eſt (quo ſimul ab aliis reliqui corporis differunt), quod ab HALLERO *b*) elegantiſſime exprimitur, qui, *in ipſo*, inquit, *ventriculi quarti caveo nervus mollis unice membranaceus invenitur et pictus potius in facie eius ventriculi anteriori quam hactenus a medulla ſemotus - Aeque facile eſt, in olfactorio nervo c), optico nervo d) remota pia craſſam trabeculam medullarem oſtendere, quæ absque membrana ſupereſt*; et paulo ante *non adeo facile eſt in medullae ſpinalis nervis medullarem funiculum prius proſequi quam vagina membranacea comprehendatur.* Reliquis vero nervorum paribus excepto ſympathico maximo, quantum ſaltim oculis detegere licet, id commune videtur, quod omnia uno eodemque e cerebro vehantur modo, omnibus eadem

*b*) Elem. phyſ. Tom. IV. p. 136. *c*) vide tab. IIdam et I.
*d*) Vide tab. ſecundam.

eadem ortus ſit conditio, omnibus eadem fabrica, idem progreſſus, omnibus eadem fere diſperſio, omnibus ſimilis functio; ita ut nulla re niſi loci e quo emergunt diverſitate ab invicem diſcerni queant; an vero hisce reliquis omnibus idem etiam finiendi modus conveniat, vix auſim contendere: quae anatomica obſervata ulteriorem forſan meditationem merentur.

Tertio notabile eſt, propagines nervorum mere ſenſorium, primi, ſecundi, et auditorii, in ipſo cerebro ſub pia matre adhuc latitantes, earumque progreſſus per piam matrem pellucentes, antequam in ſeparatos a cerebro trunculos abeant, in angulos *e*), priusquam exeant e cerebro, incurvari, quibus demum ſuperatis a cerebro quaſi ſolutae incedunt; hinc, ut ita dicam, radiculae illae cum trunco ex ipſis progerminante angulum quendam, cuius apex in nervo primo et ſecundo interiora reſpicit *f*), in molli vero exteriora petit, includunt. Omnes denique nervi a primo ad nervum auditorium mollem dictum usque, qui ex encephalo (a quo hoc ſignificatu medullam ſpinalem integram ſeparo, ad quam par vagum, et linguale medium e numero cerebralium eximens, relego) prodeunt, ideoque non immerito cerebrales dici poſſunt, capiti ſoli dicati eſſe, neque ultra procedere videntur. Nervus enim ſympathicus maximus obiici non poteſt, cum adhuc ſub iudice lis ſit, annon ut retrogradus ad par ſextum et quintum conſiderandus ſit.

Tabulas, mortuo Kaltenhofero, egregio ſaeculi noſtri rerum anatomicarum pictore, ipſe pinxi, facilius enim credidi, in re mea

a

*e*) vid. tab. IIdam et primam.

*f*) tab. II. e. et p.

a me ipſo (nam artifices aegre ſibi de eo perſuaderi patiuntur) regulas illas, quas illuſtris CAMPERUS in Epiſt. ad Albinum praeſcripſit, obſervatum iri. Nec me conſilii poenituit, dum in delineando obſervarem, multa a me exprimi poſſe, de quibus niſi plane deſperaſſet pictor, innumera certe non absque taedioſa admonitione corrigenda neglexiſſet. Nulla vero re magis quam fide ut ſe commendarent tabulae, quas lectoribus offero, ſtudui, et ne hilum quidem ſtudio me finxiſſe, vere poſſum affirmare.

Ut tabulam tertiam exhiberem, primo quidem me movit iconum ad cerebrum hoc modo diſſectum exaratarum raritas, earumque, quae exſtant, minus elegans conditio; deinde putavi, lectores meos eo facilius intellecturos, vix locum, in quo omnes nervi ſimul concurrant, apparere, et quo jure nonnulli hos vel illos nervos e quibusdam definitis cerebri locis derivarint, diiudicaturos. Animadverti etiam, nullam earum, quae hactenus prodierunt, tabularum iuſta ſatis magnitudine expreſſam eſſe, ſed omnes ob nimiam ſpatii anguſtiam obſcuritatis vitio laborare. Sunt enim quaedam partes v. c. proceſſus ad glandulam pinealem adeo graciles, ut vix in tabula quacunque in minorem formam redacta exprimi poſſint. Multum etiam conferre exiſtimavi, ut quorundam, qui in baſi cerebri inveniuntur, receſſuum, foveolarum, proceſſuumque eo luculentior evaderet deſcriptio, inprimis ut facilius intelligerent lectores, baſin cerebri non planum quoddam rectum conſtituere, ſed mire mox in ſuperiora ferri, mox demitti, iterumque attolli eius ſuperficiem.

Hinc ſtudio ad unum idemque archetypum tabulam primam et tertiam exaravi, ut, comparando utramque, altera alteram

ram illuſtraret; eam denique ob cauſam addendam eſſe cenſui, ut quorundam nervorum ſitus et progreſſus, antequam duram matrem perforant, aegrius alioquin oculo ſubjiciendi, magis perſpicui redderentur. Quae omnia ſi quis perpendat, operam, quam huic tabulae impendi, non perdidiſſe me facile exiſtimabit.

Cum (quod absque arrogantia dictum ſit), omnes fere, qui principes in cerebri hiſtoria habentur, ſcriptores videre et perluſtrare mihi contigerit, paucos tamen, qui eiusmodi tabulam exhibuerint, mihi innotuiſſe doleo. Paucos etiam qui multa collegit TARIN *g*) citat.

Duas talium cerebri ſectionum figuras ad NIC. STENONIS diſſertationem de cerebro *h*) pertinentes, quae in utraque editione, qua uſus ſum, et ea, quae Leidae prodiit et quam in opere ſuo anatomico WINSLOW exhibuit, deſiderantur, penes TARIN *i*) reperies, quae vero exactam illam, qua deſcriptio ſe commendat, diligentiam non aſſequuntur.

Aliam apud BONHOMME *k*), ſed uti et reliquas eius tabulas, rudem admodum invenies. Quam tabulam recudi qui-

dem

*g*) Adverſaria anatomica prima de omnibus cerebri nervorum et organorum functionibus animalibus inſervientium deſcriptionibus et iconismis autore PETR. TARIN. Pariſiis 1750. 4to maj.

*h*) Diſcours ſur l'anatomie du Cerveau, Paris 1668. quem librum WINSLOW in Expoſition anatomique Tome IV. editionis meae (Amſt. 1743.) pag. 203. recudi curavit. Idem liber mole parvus, praeſtantiſſima vero rei propoſitae tractatione gravis, cum primum gallico idiomate prodiiſſet. latinitate donatus eſt opera GUIDONIS FANOISII Lugd. Batav. 1671. 12.

*i*) l. c. tab. IX. fig. 7. et 8.

*k*) Traitè de cephalotomie par I. B. (J. BONHOMME) à Avignon 1748. Planche 8. pag. 64.

*l*) l. c. tab. XIV. fig. 6.

dem curavit TARIN *l*), ſed dum in minorem formam redigeret, obſcuriorem ſimul reddidit.

Aliam vivis coloribus expreſſam a TARINO demonſtratam exhibuit GAUTIER *m*); ſed artificium, quo illam exprimere ſtuduit, ad eum perfectionis gradum nondum mihi evectum eſſe videtur, ut accuratam partium ſubtilium expreſſionem inde exſpectes.

Non praeſtare eam, quam ex Hiſt. gen. Muſei regii repetit TARIN *n*), facile ipſi credam.

Sed et ipſe TARIN in adverſariis anatomicis primis eiusmodi figuram in tabula tertia exhibendam curavit, rubro colore diſtinctam et ad noſtra usque tempora praeſtantiſſimam, in qua tamen licet multa egregie ſint expreſſa, non nihil elegantiae deſideratur. Praeterea, quum ſpatio nimis anguſto circumſcribatur, pleraque ſane vix ſatis diſtincte proponi potuerunt; hinc et natae quaedam a veritate aberrationes, quas ſedulo vitare et corrigere ſtudui; ſic v. c. corporis calloſi pars poſterior praeter naturam nimis incurvatur; ipſum corpus calloſum vix adeo verſus poſteriora prolongatur, ut immediate cerebellum tangat; proceſſus ad glandulam pinealem praeter neceſſitatem omiſſi; neque ipſa glandula ſatis diſtincta apparet; eminentiae candicantes non tanta (ſaltim non in plerisque) mole glandulam pinealem ſuperant; infundibulum pro reliquarum partium ratione nimis aucta magnitudine apparet; puncta, quae in ipſa pontis ſub-

*m*) Anatomie de la tête &c. par le Sieur GAUTIER, à Paris 1748. fol. maj. 4e Planche demontrée par Mr. TARIN.

*n*) l. c. tab. XV. fig. 4. et 8.

ſubſtantia exſtant, a quibus quaſi verſus poſteriora terminatur, non poſſum non fiƈta eſſe mihi perſuadere; receſſus vel foramen, quod commiſſura anteriore repletur, nimis amplum, neque id quidem juſto loco poſitum eſt; nervi tertii omiſſio non adeo reprehendenda; medulla oblongata nimis perpendiculariter deſcendit; ventriculus quartus, ſi cum illo (quo ſemper longe minor eſſe ſolet), qui intra ſepti lucidi parietes continetur, comparetur, nimis ſpatioſus apparet; gyrorum denique & cerebelli diſſecti non fida neque perpolita ſatis imago.

Aliam vero ex ove deſumtam, quam CASP. BARTHOLINVS *o*) tradidit, hic praetermitto iconem.

Optime vero eiusmodi ſectio verticalis in cerebro e cranio exempto peragitur; quamvis enim omnes, quotquot exſtant, ejus ſectionis figurae encephalon ſimul cum oſſibus capitis ope ferrae una eademque ſectione diviſum eſſe prodant, minime tamen eo adduci poſſum, ut credam, vel ſubtiliſſima ferra internarum mollium admodum cerebri partium laeſionem ne dicam deſtruƈtionem vitari poſſe; eamque ob cauſam cultri aciem praeferendam eſſe cenſeo. Praeterea ſin etiam mittam, ferram non eadem ac cultrum dexteritate traƈtari, eiusque pro partium diverſitate direƈtionem non immutari poſſe, multum etiam obeſt ſeƈtioni, quae cerebro intra calvariam reliƈto ferra fit, quod oculorum uſu per ipſam ſeƈtionis naturam interdiƈto, ea caſui quaſi fortuito expoſita ſit. Melius ergo conſultum erit, in cerebro apte

*o*) CASP. BARTHOLINUS TH. fil. de olfaƈtus organo, Hafn. 1679. ubi ligno inciſa eſt ea, quam cito, icon, quam vero nitide in aes inciſam reperies in eiusdem ſpecimine hiſtoriae anatomicae, Hafn. 1701. tab. 3.

apte locato sectionem ab inferiori superficie incipere, cultrique acie, diviso infundibulo, et nervorum opticorum congressu, sectionem et anteriora et posteriora versus continuare; cavendum vero, ne cultro paulo interius penetrante nimis repente cerebrum dehiscat; hinc sustententur amici manibus utrinque hemisphaeria, ne superficiaria tantum sectione peracta, proprio pondere et nimio impetu alterum ab altero feratur, dilaceratione potius, quam sectione facta.

Descriptionem vero fusiorem earum cerebri partium, quarum in hac tabula exstat imago, ne mihi positos transgrederer terminos, praetermisi, non nisi earum, quae ad basin aliquid conferunt, sparsim mentione facta. Si vero sint, qui et reliquas quodammodo notas sibi reddere cupiant, hos ad explicationem eius fini annexam relego.

Neque dubito fore, quibus tabulae huius venustas et veritas se commendatura sit, tum maxime cum cognoverint, ab ipso ill. WRISBERGIO illam, ad quam exarata est, peractam esse cerebri sectionem: cuius insignem plane ac felicem diligentiam merito admirabuntur, qui rerum anatomicarum peritiam longo usu sibi acquisiverunt, ab iis sane, qui verbis solum illam profitentur, nullo modo intelligendam.

Principio propositum erat, solummodo de nervorum originibus scribere, sed postea videns, sine exacta baseos cerebri notitia rite eas tradi non posse, huius descriptionem praemisi, sed non nisi breviſſime de ea commentatus; nec non quarundam cerebri partium v. c. infundibuli historiam adhuc desideratam

fusio-

ſuſiorem ex ſcriptis reſtituere, propriisque experimentis illuſtrare anniſus ſum.

In iis, quae ad litteraturam deſcriptionis noſtrae facerent, ut vanitatis ſuſpicionem effugerem, praeter unum (et quod noveram primum) rei cuiusdam teſtem, vix alium niſi peculiariter eadem de re meritum allegavi. Viros anatomes laude jam claros denuo laudare, eorumque libros commendare, cum hac de re alii opulentiſſimi pateant theſauri, ridiculum plane viſum eſt; hinc Eraſiſtrati, Herophili, Marini, aliorumque complurium merita jam aliunde lectoribus nota ſilentio tranſii. Alias ſimpliciter res, auctorum nominibus omiſſis, ne nimis prolixus fierem, indicavi.

Synonyma vero, ut tironibus ad veterum lectionem forſan accedentibus auxiliarer, ſedulo e fontibus ipſis collecta addidi.

Nova nomina quibusdam cerebri partibus imponere, novasque diviſiones nervorum introducere nolui, ſatius exiſtimans, ex illis, quae jam nota eſſent, nominibus ea ſeligere, quae quodammodo poſſent tolerari. Ineptis ſpurcisque tamen nonnullis abſtinere non potui. Verendum enim mihi erat, ne novitatis hisce in rebus nimis ſtudioſus, invidiam potius, quam laudem mihi parerem. Nec me fugiebat, multa a multis reprehendi

— — — — *non quia craſſe*
*Compoſita illepideve putentur, ſed quia nuper.*

HORATIUS Epiſt. L. II. Epiſt. I. v. 76.

---

# LIBER SECUNDUS.

## SECTIO I.

## DE BASI ENCEPHALI.

### §. 1.

Baſin encephali vulgari denominatione vocant omnem eam encephali ſuperficiem inferiorem, quae cranio incumbit; hinc omnis medullae ſpinalis pars, quae cranio includitur, omnia nervorum encephali paria, ab ortu usque eum ad locum, in quo duram matrem perforando transeunt, et integrum cerebellum, ad baſin cerebri referuntur. Neque glandula pituitaria vulgo excluderetur, niſi in eximendo cerebro peculiari artificio opus eſſet, quo minus a tenui, molli, et gracili infundibulo, per quod cerebro connata eſt, disjungeretur.

### §. 2.

Ad oſtendendam hanc baſin encephali, variam requiri adminiſtrationem anatomicam, notum eſt: *vulgarem* illam, qua ferra capitis oſſibus orbiculatim ſectis, ſolutisque quaſi membranae craſſioris, quibus cerebrum coercetur, vinculis, vaſisque vel arterioſis rarioribus, vel iis, quae primo in cerebro errantia, poſt in durae matris ſinus, ut vocant, ſe conferunt, diſſectis, caute encephali moles auxiliante cultro, quo nervorum paria ſub originem, ante illorum per eiusdem membranae tenacioris foramina, hiatus, vaginasque infundibuliformes tranſitum, ſecantur, e theca ſua oſſea enucleatur: et *Varolianam* methodum, quae ab inferioribus cranii partibus incipit, ſed, ob mi-

nime

nime vitandam multarum partium nobiliorum deſtructionem, rarius noſtris diebus adhiberi ſolet. Equidem in inveſtiganda cerebri fabrica plerumque priori uſus ſum.

## §. 3.

Ante vero quam ipſam baſeos encephali deſcriptionem aggrediar, operae pretium eſſe exiſtimo, tabulas, quae ipſam exprimunt, praecipuas chronologico ordine recenſere; qua quidem in re ita verſabor, ut primo nullas allegem, niſi quas ipſe viderim; deinde, poſthabitis illis, qui aliorum tabulas vel denuo ediderunt, vel corruperunt, vel eas in anguſtius ſpatium coercentes, inutiles plane reddiderunt, (quod v. c. Veſalianis et Euſtachianis accidit) eos tantum proponam, qui ipſam naturam ducem ſequuti ſunt, breviſſima ſimul adiecta cenſura, ex fuſiori, quam elaboratam a me in manibus habeo, eorum, qui de baſi cerebri ſcripſerunt, hiſtoria excerpta; ea ſimul lege mihi propoſita, ut annum non niſi eum, quo primum prodierunt, deſignem.

Tabulam baſeos cerebri omnium primus edidit

1501. MAGNUS HUNDT *a*). Ligno inciſa maxime ſane rudis. Quem deinceps ſequuti ſunt

1541. DRYANDER *b*). (in editione Mundini) Ligno inciſae. Aliquantulum Hundtio meliores.

1545.

*a*) Antropologium de hominis dignitate, natura &c. per MAGNUM HUNDT., Liptzick anno 1501. ſeptimo Kalendas Martii. 4. fig. Ima.

*b*) Anatomia Mundini ad vetuſtiſſimorum aliquot manuſcriptorum &c. collecta juſto ſuo ordini reſtituta per JOH. DRYANDRUM, Marp. 4.

1545. VESALIUS *c*). Mirando artificio pro illorum temporum conditione confectae. Lign. incif.

1552. Vide 1714.

1572. VAROLIUS *d*). Ipfe fatetur, non ad naturae exemplar, fed memoria duce a fe ipfo delineatas effe. Lign. inc.

1586. ARCHANG. PICCOLHOMINI *e*). Vix aliis praeferendae.

1610. JUL. CASSERIUS *f*). Laudes HALLERI merentur.

1611. VIDUS VIDIUS *g*). Hunc tabulas Vefalianas propriis meritis exornaffe credo.

1618. vide 1741.

1625. I. B. CORTESIUS *h*). Naturae confentaneae, quanquam paulo ruditer ligno inciſae ſint.

1664. WILLIS *i*). Vix elegantia Caſſerium aequant; ſed veritate ſatis commendabiles.

1683. DUVERNEY *k*). Quoad origines nervorum omnium optima.

1685. VIEUSSENS *l*). Nimis artificioſae et nonnihil a natura recedunt.

1685.

*c*) de C. H. fabrica. Baſil.

*d*) de nervis opticis nonnullisque aliis praeter communem opinionem in humano capite obſervatis Epiſtola; ſcripta eſt 1572. prodiit Francof. 1591. 8.

*e*) Anatomicae praelectiones, Romae fol.

*f*) Pentaeſtheſeion, Frfti. fol. tab. VII. ad olfactus organon.

*g*) de anatome C. H. LXXVIII. tabulis illuſtrata. Venet. Uſus ſum editione, quae prodiit Frfti fol. lib. 3. tab. 18. fig. 1. 2. 3.

*h*) Miſcellaneorum medicinalium decades duae, Meſſanae, fol. fig. IIda & IVta.

*i*) de cerebri anatome, in Opp. edit. Genev. 1680. 4.

*k*) Traitè de l' organe de l'ouie, Paris 12. Planche XI.

*l*) Nevrographia univerſalis (edit uſus ſum Lugdun. 1716. fol.) HALLER in bibl. anat. citat editionem 1685. Lyon.

1685. BIDLOO *m*). Artifici eius laus nullo modo denegari poteſt. Explicatio vero mala. Meliorem eiusdem tabulae COWPER dedit.

1685. COLLINS (vel Tyſon) *n*). Vitiis non caret.

1695. RIDLEY *o*). Non mala.

1714. EUSTACHIUS *p*). Ab anno 1552. paratae, hoc demum anno prodierunt. Omnes anteceſſorum et poſteriorum, ſi DUVERNEY excipias, usque ad RUYSCH tempora ſuperant.

1718. LANCISIUS *r*). Vix digna quae hic recenſeatur.

1721. RUYSCH *s*). Egregia ad junioris hominis cadaver.

1740. LE CAT *t*). Imaginariam eſſe crederem cum MEKELIO.

1740. BACCHETONI *u*). Omnium peſſima.

1741. BERRETINI *v*). Sculptae ſunt 1618, licet hoc anno primum prodierint. Multa non male exprimunt.

1742. GARENGEOT *x*). Ad cerea ſimulacra expreſſa TARIN teſte.

1748.

*m*) Anatome H. C. centum et quinque tabulis per G. DE LAIRESSE ad vivum delineatis. Amſt. fol. tab. IX. Idem liber 1739. L. Bat. prodiit ſub titulo: anatomia corporum humanorum centum et quatuordecim tabulis aucta a G. COWPER — repetit praeter BIDLOI tabulam baſeos encephali et eam, quam RIDLEY dedit.

*n*) Syſtem of Anatomy. Vol. IIdo London fol. tab. 48.

*o*) The anatomy of the Brain. London 8. tab. I.

*p*) Tabulae anatomicae, Rom. fol. tab. XVII. et XVIII.

*r*) Opera omnia collegit P. ASSALTUS, Genev. 4. fig. II.

*s*) Epiſt. anat. problemat. duodecima. Vide operum omnium anatomico-medico-chirurgicorum Tom. I. Amſt. 4.

*t*) Traité des Sens. Tome II. (in edit. Pariſ. 1767. 4. pag. 299.)

*u*) Anatomia medicinae theoreticae et practicae miniſtra &c. Oeniponti 4.

*v*) Tabulae anatomicae a celeberrimo pictore P. BERRETINO delineatae et inciſae, editae nunc demum a CAJETANO PETRIOLI, Romae fol. tab. XXI.

*x*) Splanchnologie, ſeconde edit. Paris 8. min.

1748. I. B. *y*) (I. Bonhomme). Ruyſchiana multo inferior.

1752. Heuermann *z*). Non omnino improbanda.

1754. Haller *a*). Quo minus diſtinctae origines nervorum appareant, elegantia vaſorum impedit.

1765. Meckel *b*). Praeſtantiſſima, ſed partem tantum baſeos cerebri exprimit.

1767. Camper *c*). Deſiderium promiſſae tabulae excitat.

1775. Dagoty *d*). Nil proprii habent, et forte ad aliorum figuras factae.

1775. *e*).

1777. Mayer *f*). Nervorum origines in infante obiter expreſſit.

§. 4.

Diverſimode cineream cerebri proprie ſic dicti partem, quae in baſi apparet, dividunt. Veteres metaphoras amantes partem anteriorem *Proram*, mediam, vel ſi mavis, poſteriorem elatiorem *Puppim* appellabant. Alii, in hemiſphaerium dex-

trum

*y*) Traitè de cephalotomie, à Avignon 4. Planche 9.

*z*) Phyſiologie, 2ter Theil, Copenh. und Leipz. 8. Tab. VIII.

*a*) Iconum anat. faſciculo VIII. Goetting. fol. Tab. I. arteriarum cerebri.

*b*) Hiſtoire de l'academie royale des ſciences année 1765. à Berlin 4. pag. 91.

*c*) Epiſtola ad B. S. Albinum, Groning. 4. fig. 1.

*d*) Expoſition anatomique des organes de Sens, jointe a la nevrologie entiere du C. H. par Mr. Dagoty Pere, Paris fol. med.

*e*) Santorini tabulam, quam maximis laudibus ſummus in arte iudex Haller extulit, hucusque me non vidiſſe admodum doleo.

*f*) Anatomiſche Beſchreibung der Blutgefäſſe des menſchlichen Koerpers, Berlin und Leipz. 8. Tab. V. fig. 1.

trum et ſiniſtrum cerebri molem dividentes, in utroque Lobum *anteriorem*, *medium*, et *poſteriorem* diſtinguunt. Veram eiusmodi diviſionem eſſe annotarunt Varolius, et recentiori aetate WINSLOW g), qui expreſſis verbis tres lobos (*trois boſſes*) ſtatuit. Alii duos tantum lobos exſtare, cenſuerunt, *anteriorem minorem*, et *poſteriorem maiorem*. Notandum autem eſt, hanc in duos vel tres lobos partitionem cerebrum deſuper inſpicienti evaneſcere. Sin vero eiusdem ſuperficiem inferiorem, baſin volo, ſpectes, facili negotio duos tantum lobos inſigniores adeſſe, aegrius vero tres, qui jure ita dici poſſint, lobos deteges. Quare ad eorum, qui *duos* tantum ſtatuunt lobos, ſententiam accedo.

## §. 5.

Omnis vero ſuperficies cerebri, quae in baſi apparet, ut in reliqua ſuperficie, Gyris quibusdam, a ſulcis, quibus cerebrum inciſum eſt, ortis (quos Gyros alii ἕλιγμὰς, *varicoſam* (πιρσοειδῆ) *cerebri partem*, *plicaturas*, *ſpiras*, *foſſulas*, *circumgyrationes*, *ſphaericas prominentias*, *ſulcos*, *anfractus*, *maeandros*, *flexus*, *inteſtinula*, *inteſtinorum ſimulacra*, *involutiones inteſtiniformes*, *proceſſus enteroideos*, *ſinuoſos cerebri flexus*, dicere amant) non ſemper iisdem inſignitur.

Equidem *gyros* a *ſulcis* diſtinguo; *ſulcorum* enim nomine, ipſas inciſiones, quae transverſim diſſectae, angulum, lineis introrſum incurvatis, apice vero in ſubſtantiam cerebri penetrante,

g) Tome IV. nr. 53. et 55.

te, efformant, comprehendens, *gyros* eas partes voco, quae inter duos eiusmodi ſulcos continentur, et quae ſulcis illis propius ſibi accedentibus anguſtantur, a ſe invicem vero recedentibus, latiores fiunt. Hi gyri, quorum ſuperficies externa ubique in cerebro convexa eſt, plerumque in baſi cerebri ab anterioribus ad poſteriora variis inflexionibus ſerpentum ad morem factis quaſi decurrunt. Miram interdum naturae conſtantiam et in his gyris, pluribus ſimul cerebrorum archetypis comparatis, miratus ſum; et in univerſum, quoad gyrorum generaliorem habitum, ſemper fere cerebra humana inter ſe conveniunt. Hi gyri, eleganter ALBINO *h) nil niſi extremae partes proceſſuum, ex medulla cortice cruſtata conſtantium, quos exigit cerebrum* dicti, verſus inferiora in baſi convexi, in foetuum capitibus, pro ratione minoris cerebri et ipſi minores reperiuntur, ut plures adeſſe crederes. Cerebrum enim infantile mole ſua adulti hominis cerebro longe inferius, non minori numero flexuum gaudet; hinc gyrorum ſubſequente aetate non augetur numerus ſed moles. Diſceptatione vero praetermiſſa, cui uſui inſerviant hi gyri, et an pro calliditate diverſa animalium eorum etiam diverſa ſit multitudo, an denique, pro ingeniorum humanorum varietate, varius quoque eorum in homine ſit numerus, ea obiter annoto, brutorum cerebra gyrorum copia ab humanis minime ſuperari; deinde, in minorum animalium cerebris gyros eadem fere latitudine reperiri, qua in majorum animalium cerebris, illa tamen magnitudine longe ſuperantibus, gaudent;

*h*) Annot. anat. Lib. I. Cap. XII.

dent; adeo, ut ſi (quod in minimis quadrupedibus obſervare licet) latitudo iſta gyri totius cerebri ſuperficiem vel aequat, vel ſuperat, nullos plane gyros invenias.

## §. 6.

Saepenumero infantum et adultorum encephalis inter ſe collatis, in illis plus cinereae ſubſtantiae, pro mole minore cerebri, quam in his adeſſe obſervavi, adeo, ut omnino veroſimile ſit, ſubſequente aetate aliquam ſubſtantiae cinereae partem in medullam ipſam transmutari. Tantam ceterum modo in hoc modo in illo lobo, in illis gyrorum ſimilitudinem reperi, ut (ſi minima non cures) plane ad idem exemplar elaborata eſſe viderentur, nec aliam, niſi quam magnitudo faceret, differentiam detegere potui; omnis vero baſeos gyros ſimul exacte convenire, neque in adultorum cerebris cum adultis, neque foetuum cum juniorum hominum, neque puerulorum cum ſenum cerebris comparatis, obſervare mihi licuit. Ratam caeterum vidi, quam non nimis a re noſtra remotam profero, de cerebri ſuperficie ſuperiore Günzii annotationem, nimirum *anfractus* (i. e. gyros) *in ſiniſtro omnes, in dextro plerosque a vertice ad baſin deſcendere.*

Saepius vero dolui, in plurium praeſtantiſſimorum virorum tabulis in his rebus exprimendis abeſſe eam, quam laudare poſſis, ſollertiam; neque enim ignoro, ſtudio alios, ut rem notatu indignam, gyrorum expreſſiones accuratiores neglexiſſe, alios eosdem pictoris arbitrio reliquiſſe, alios expreſſiſſe qui-

dem, ſed ita, ut non niſi iis, qui eos ſaepius in cerebris conſiderarunt, pateant. Quod etiam non miror, cum ipſe animadverterim, exercitationem quandam ad eorum in tabulas translationem requiri; ob irregulares enim, quibus decurrunt, ductus, non eadem, ut aliae baſeos partes, facilitate repraeſentantur, et praeterea cavendum ne veſtigia vaſorum pro ipſis ſulcis cerebrum ſecantibus, gyrosque diſtinguentibus pingantur.

Quidam putarunt, hos ſulcos horumque ope gyros a vaſis majoribus eis ſuccumbentibus produci; alii, quod idem fere eſt, in illorum ſulcorum externa ſuperficie arterias majores decurrere, tradiderunt; utrumque vero adeo oculorum judicio refellitur, ut potius dicendum ſit, arterias majores rarius ſulcorum vias ſuperficiarias legere: quod etiam non repugnat aliorum ſummorum virorum ſententiae, qui *omnes iſtos ſulcos arteriolis recipiendis paratos eſſe, ut tanquam in ſpatio decurrant, in quibus et locum ſibi inveniant commodum, et cortici non ſint impedimento*, cenſent; tranſcendunt ergo ſaepius arteriarum trunculi iſtos gyros, profundas plerumque (ſed non ſuperficiarias) ſulcorum vias legunt, ſparſis ſurſum et deorſum ramis, qui mox in innumera et conſpicilli tantum ope inveſtiganda vaſcula, quibus cortex cerebri magna ex parte componitur, reſolvuntur.

Hinc et illorum probabilitate non deſtituitur ſententia, qui *ſulcos ab inſinuante ſe pia matre fieri, vel propterea factos eſſe, ut inſinuare ſe queat*, cenſent. Quocirca et illam naturae legem, quam *Ill. Praeceptorem* WRISBERG ſaepius in ſcholis, et demon-

monſtrationibus publicis exponere memini, *vaſorum* nimirum, *minutiſſimos ſurculos, ubicunque ſint, membranae cuidam alligatos teneri*, et cerebri fabrica luculentiſſime illuſtrari intelliges. Ea ipſa ergo tenui membrana, quam *vaſculoſam Ill.* WRISBERG nominare amat, veſtiuntur gyri, non ſolum extremi, ſed, ut ALBINUS expoſuit, toti, proceſſibus ab ea demiſſis inter eos ad imum usque. Interdum porro eiusmodi diviſionibus cerebrum intus ſectum fuiſſe, absque ullo in ſuperficie exteriore ſatis conſpicuo ſulci veſtigio vidi, ut in diſſecta ſiniſtra cerebri parte tabulae ſecundae; plerumque vero eae cerebri diviſiones ſulcorum exteriorum ſunt continuationes, ut eadem tabula declarat.

Ad medullam autem usque illi ſulci non demittuntur; *neque enim*, ut Albinianis verbis utar, *ut pertinere ad illam poſſint, in imis ſulcis nuda eſt, ſed cortice non minus cruſtata, quam in lateribus*; quae verba optime illuſtrat inſpectio tabulae ſecundae, quae in latere ſiniſtro cerebri in medio diſſecti, ſulcorum continuationem oſtendit, eosque non ad medullam usque prolongari declarat. De vaſorum in his ſulcis diſtributione, egregie, pro more ſuo, ALBINUS egit.

## §. 7.

Et haec quidem omni ſuperficiei cerebri, quae in baſi cernitur, communia; nunc ſeorſim de eius *lobis anterioribus* agendum.

Horum dexter a ſiniſtro a vertice ſummo ad baſin usque

perpendiculariter ita ſeparatus eſt, ut in poſteriori demum loco, primum mediante corporis calloſi anteriori parte, deinde ea, qua cum lobis mediis miſcentur, et inter ſe confluendo intime conjungantur. Sic lobus dexter in tabula tertia linea a b c 4 terminatus nequaquam cum ſiniſtro commiſcetur.

Ea vero ſeparatione verticali oriuntur loborum *ſuperficies internae*, quae licet, ne in unum corpus coëant, ex parte tantum per proceſſum a dura membrana inter illas demiſſum falciformem impediantur, nihilominus tamen in ea regione, qua, deſinente eo proceſſu, immediate per inſigne ſpatium ſibi accumbunt, non coaleſcunt, ſed ope telae et forte etiam vaſculorum laxius tantum cohaerent; paulo arctiorem vero eandem ſuperficierum internarum cohaeſionem eſſe in *margine interiori*, qui ad baſin pertinet, facile demonſtrari poteſt; etenim margo ille interior cujusvis lobi anterioris ad alterum proxime accedens, telae celluloſae communi quaſi vinculo conjungitur.

Quodſi factam huius vinculi ope loborum anteriorum connexionem (quae, ut innuimus, in margine illo paulo ſtrictior quam ullibi in alio quovis loborum anteriorum loco reperitur) in baſi aſpicias, ſulco potius eos diſtingui, quam totos ſeparari opineris.

Antrorſum vero iidem lobi ſuperficiebus illis internis a ſe invicem recedentibus dehiſcunt, adeo, ut quo magis verſus anteriora oculo procedas, eo majori etiam hiatu ſeparati appareant.

ant. Hiatus vero iſte *a*), qui ſeparationem loborum anteriorum quaſi orditur, cerebro in theca ſua oſſea adhuc relicto, repletur eminentia illa oſſea, quae colliculi in modum in media lamina cribroſa oſſis ethmoidei aſſurgens, vertice cerebro oppoſito, excipit partem anterius deſcendentem proceſſus falciformis, ita, ut iſta eminentia (quam criſtam galli vocant) eadem membrana veſtiatur, cuius proceſſui falciformi firmum quaſi fulcrum ſe praebet.

Proceſſus vero iſte duplici durae matris lamina conflatus, praeterquam quod lobos anteriores ſeparet, et ſanguinis a cerebro per ſinus eius ad eos refluentis rivulis alveoli inſtar ſit, etiam, ut infra exponemus, nervum dextrum e dura matre ad laminam foraminulentam oſſis cribroſi dilabentem a ſiniſtro disterminat.

Jam in marginis interioris loborum anteriorum parte utrinque obſervabis *ſulcum* quendam verſus exteriora ſenſim evaneſcentem, cui ſuccumbunt arteriarum corporis calloſi trunci, qui paululum verſus anteriora progreſſi, deinde inflexi ita aſcendunt, ut curſum mox poſteriora verſus dirigant. Hunc ſulcum, quem nunquam abeſſe memini, in omnibus figuris diſtincte expreſſi *b*).

Nunc, quomodo a lobis mediis, quos rectius poſteriores dicere poſſis, ſeparantur lobi anteriores, indicandum. Plerumque dicuntur ſulco quodam inſigniori, cui nomen foſſae Sylvianae impoſuerunt, et qui neſcio quam in cerebri hiſtoria famam aſſecutus eſt, diſtingui. Cerebri enim ſubſtantia pone alam minorem oſſis ſphenoidei profunde demiſſa, ſi inverſa conſide-

*a*) Tab. I. δ. *b*) Tab. I. γ. α. Tab. II. ***

ſideratur, ob montis, quam praebet, ſpeciem (quare etiam *monticulum* VAROLIUS appellavit) uno obtuitu facillime a lobo anteriore diſcernitur; quare non inepte quis dicat, poſteriorem terminum lobi anterioris ipſi lobo inprimi a margine illo acuto poſteriore alae minoris oſſis ſphenoidei. Minime vero eiusmodi, qualem deſcripſi, ſulco lobus iſte anterior a poſteriori dividitur. Sulcus enim ſive foſſa Sylvii (ut conſveto vocabulo utar) in ipſum cerebrum uti reliqui ſulci non penetrat: alioquin quaſi fiſſura quadam ſepararentur hi lobi, quam tamen hic fruſtra quaeſiveris; hinc remotis vaſis in iſta foſſa decurrentibus, eaque diducta, ſenſim minuitur ipſius profunditas, et quo magis diducas, eo planior redditur, adeo, ut tandem fere evaneſcat; quo facto patebit, lobum cerebri anteriorem non vero ſulco ſeparari, ſed continuo ductu in lobum medium transire.

Quae vero arteriae, et quomodo in illa foſſa decurrant, HALLERI icon optime declarat.

Alius autem verus *ſulcus* utrinque a poſterioribus ad anteriora fertur, cuius viam nervus primus legit, eamque ob cauſam ipſi dicatum eſſe, non immerito aſſerimus. Cuius memoratu digni ſulci hiſtoriam, quum ad lobi cerebri anterioris potius, quam ad nervi primi deſcriptionem (cui tamen ab omnibus annexam eſſe reperio) pertinere mihi videatur, hoc maxime loco ſubiungere non alienum puto.

Veſtigia prima ni fallor apud VAROLIUM *c*) reperies, qui *in*

*c*) Anatomes Libr. I, Cap. V. p. 23.

*in ſubſtantia*, dicit, *cerebri veluti inſculptus primo proficiſcitur nervus olfactorius.* Eiusdem ſulci mentionem SANTORINI *d*) fecit, diſtincte indicans, nervum primum inter inteſtinulorum cerebri latera quaſi *per inſculptum* dedita opera ſecundum longitudinem *rectum ſulcum*, cui ſimilem ullum in toto cerebro ſe vidiſſe negat, ad os ethmoideum contendere. Eundem WEITBRECHT *e*) deſcripſit, et *foveolam* ſingularem inter anfractus cerebri utrinque in uſum primi paris exſculptam vocavit; nec MONRO *f*) illum in primi paris hiſtoria omiſit, licet forte SANTORINO auctore uſus ſit. Omnium vero accuratiſſime celeb. METZGER *g*) de eo egit, illis, quae ex aliis repetiimus, addens, hunc ſulcum triangulari gaudere ſectione, cuius apex ſurſum reſpiciat, baſis deorſum, ita etiam profundiorem eſſe in medio, ut duo extrema verſus magis ſuperficiarius ſit; cui deſcriptioni pauca tantum adſpergam: primo, hunc ſulcum reliquis, qui in baſi apparent, ſimillimum (ſaltim quoad fabricam) prouti et nervos primos ipſos, quo magis anteriora verſus progrediuntur, ſenſim nonnihil convergere; deinde non exacte rectum duci, (quod quis e verbis SANTORINI opinari poſſit) ſed paulo ſinuoſum procedere, ideoque impedire, quo minus nervus primus recta ad os ethmoideum contendat via; porro in initio tantum exacte repleri a nervo primo per telam ei affixo, qui ea in regione triangularis obſervatur, et forte arteriolis e ſulco deſcendentibus nutritur; eo etiam a reliquis cerebri ſulcis differre, quod ſolus nervo recipiendo ſit deſtinatus; duplici denique

*d*) p. 62.

*e*) Comment. Acad. Petropolitan. Tom. XIV. ad ann. 1744. 1746. p. 276. de vera ſignificatione proceſſuum mammillarium, tab. V, fig. 2.

*f*) Nevrologia edit. Coopmanns p. 19.

*g*) Diſſ. inaug. de nervo primi paris pag. 27.

nique inciſione, mox in unum ſulcum continuata, in poſteriore lobi anterioris parte incipere, ſimplici vero ſenſim fine evaneſcere. Interdum tamen illum anteriorem finem ultra nervi primi papillam prolongatum me reperiiſſe fateor; quae omnia jure meritoque illi nomen *ſulci nervo primo dicati* tribui demonſtrant.

In poſteriore demum parte utriusque lobi anterioris conſpicitur *gyrus*, qui, cum prolongatus in nervum primum abeat, memoratu reliquis omnibus dignior eſt, ideoque paulo fuſius a me deſcribendus. Termini eius exterior, et alter, qui internus dici poteſt, plerumque poſtrema continuatio ſulci primi paris nervo dicati eſſe ſolent, poſterior vero marginis interioris eiusdem lobi eſt continuatio, et veluti ſuperficiarius tantum ſulcus, a ramo anteriore carotidum internarum natus, hunc gyrum a cruribus cerebri diſtinguens; qui tribus hisce terminis circumſcriptus gyrus eam partem cerebri conſtituit, in qua principio nervi primi paris origines, albedine a cinerea hujus gyri ſubſtantia diſtinctae, et quaſi pictae tantum hactenus apparent; quae ſenſim latiores factae, tandem in nervum ex ſolo eo gyro emergentem transeunt: magno argumento, ſtriarum cum medullaribus alternantium habitum cinereum, ab ipſa eiusdem gyri externa ſubſtantia eodem colore tincta derivandum eſſe.

## §. 8.

Lobus poſterior (medium enim ſtatuere, per ea, quae dicta ſunt §. 4. non licet, neque ſimile quid diviſioni in lobum medium et poſteriorem vidit HALLER *h*), ) per foſſam Sylvii ab an-

*h*) Icon. anat. faſc. VII. in explicat. tab. I. arteriarum baſ. cer., nota a.

anteriori disterminatus descendit in foveam ossam calvariae mediam, *fundum camerae cerebri* ab ALBINO vocatam; (quae margine posteriori alae minoris ossis sphenoidei, et angulo superiori ossis petrosi circumscripta, a superficie interna alae majoris ossis sphenoidei, et partis squamosae ossis temporum, et hedera anteriori ossis petrosi potissimum constituta, dura matre vestitur) et supra dictum tuber utrinque in hemisphaerio montis speciem exhibens construit, vel, si lobum posteriorem inverso encephalo adspicias, anteriore elatiorem reddit, decliviore sui parte cerebellum posterius sustinens; quibus efficitur, ut, si a vertice ad basin cerebri altitudinem emetiaris, hac in parte maximam invenias. Simul vero iste lobus posterior in utroque latere dilatatus cerebri volumen hac in parte adeo amplum reddit, ut et cranium ipsum hac in parte latissimum appareat. Latissima haec cerebri substantia, interveniente tamen dura matre, parti squamosae ossis temporum, tenuissimo ossi, accumbit; reliquam denique eius partem ad latera, quo magis posteriora petit, iterum angustatam, pauloque ex ea fossa ascendentem utrinque tentorium cerebelli ita suffulcit, ut simul cerebri a cerebello dissepimentum sit.

Pergit tum lobus posterior, non adeo sulco quodam peculiari dissectus, ut ulteriorem in duos lobos distinctionem admittat, et super tentorio prolongatus versus posteriora ita tendit, ut cerebello et superior et paulo etiam posterior sit; tum recipitur utrinque in scrobem superiorem a jugis illis osseis crucis instar in osse occipitis positis efformatam; et quo minus cum altero oppositi lateris concurrat, interpositus obstat processus falciformis, crassus, latus, tentorio innitens, vel potius utrinque in illud expansus,

ſanguinis refluentis inſigni copia infarctus, et eminentiae oſſeae ex oſſe occipitis deſcendendo exſurgenti firmiter alligatus.

A latiori ergo craſſiorique durae matris proceſſu facta cerebri, qua poſterius deſinit, diviſio cauſae eſt, cur hiatus inter lobos poſteriores major ſit illo, qui inter lobos anteriores intercedit. Eundem vero nimis amplum plerosque tabularum auctores pinxiſſe, inde explicari poteſt, quod exemtum cerebellum, ni arte impediatur, ſponte planiuſculum fiat, ideoque, hemiſphaeriis eius magis ſecedentibus, major etiam hiatus reddatur.

Sulci, quibus diſtinguitur hic lobus, plerumque ab anterioribus ad poſteriora continuata quaſi inciſione ſinuoſa nati, gyrorum, ſpeciem inteſtinulorum praebentium, flexibus ortum dediſſe videntur.

Sulcum praeterea peculiarem obſervabis in ea hujus lobi parte, quae in baſi ulteriores nervorum opticorum origines tegit, cui arteria communicans e carotide et vertebrali nata ſuccumbit.

---

LIBRI

# LIBRI SECUNDI

## SECTIO II.

### §. 9.

Praemiſſa ergo loborum cerebri deſcriptione, eorum, quae ſequuntur, luculentiorem futuram eſſe hiſtoriam credo; de quibus jam ordine nobis agendum erit.

E confluente ſcilicet hemiſphaerii cerebri proprie ſic dicti omni medulla, (quae an a cortice, quo circumdatur, ortum trahat, definire huius non eſt loci) utrinque erumpit *proceſſus medullaris*, qui principio ſtatim ab exterioribus quaſi oblique interiora petens, cum altero angulo acutiſſimo ita conjungitur ut pauca tantum ſeparationis vel hiatus veſtigia relinquantur; tum duplici eo proceſſu conflatus truncus medullaris, ſub cerebello, a quo inſignia incrementa capit, e cranio exeuns, per canalem amplum, qui magno oſſis occipitis foramini ſupponitur, et ab eo per vertebras colli et dorſi procedens, ſenſim anguſtior factus, circa ultimam dorſi vertebram tenuem denique in mucronem deſinit.

### §. 10.

Sed paulo accuratius ſingulas ejus *proceſſus medullaris* partes, quem merito verum omnium nervorum fontem dicere poſſumus, (in eo enim origines omnium nervorum quaſi obnubilatae evaneſcunt, oculisque ulterius eas proſequi cupientium limites quaſi, quousque cultro procedendum, et quos excedere nefas ſit, commonſtrant), quae in baſi proſtant, deinceps perluſtrabo.

Praetermiſſis autem, ne hiſtoriam totius encephali potius quam baſeos ejus deſcriptionem exhibere videar, omnibus illis ejus proceſſus *tuberibus*, *colliculis*, *valleculis*, *canalibus*, *receſſibus*, *prominentiis*, *faſciculis medullaribus*, *ſtriis*, *ſulcis*, quae partes in ſuperiori ejus ſuperficie nominibus *corporum ſtriatorum*, *thalamorum*, *ventriculorum*, *aquaeductus*, *ani*, *corporum quadrigeminorum et glandulae pinealis*, *commiſſurarum*, *centrorum geminorum ſemicircularium*, *calamique ſcriptorii*, aliisque ridiculis appellationibus veniunt, ad illa, quae de eo in baſi apparent, me confero.

## §. 11.

Diductis lobis poſterioribus ea regione, qua nervorum opticorum origines ab eis tectae apparent, ut in tabula ſecunda factum eſſe vides, anteriores lobos adeo confluere et coire cum poſterioribus cernes, in uniformem, colore in adultis neque albedinem medullae imitante, neque tamen inſtar cinereae cerebri partis fuſco, ſed medio quaſi inter cineream et medullarem tinctam maſſam, ut diſcernere eos amplius nequeas. Utrinque in eius ſubſtantiae, e collecta totius hemiſphaerii medulla natae, (proceſſus medullaris) initio, praeter aliqua, a vaſorum furculis e vaſculoſa, qua tegitur, membrana in illud penetrantibus relicta foraminula, vix quidquam ſat notabile invenies, ni forte ad hunc locum origines nervi primi paris referre placeat, cujus gyrus ſuperficiario tantum ſulco ſaepius ab eo proceſſu diſtingui ſolet.

## §. 12.

Proceſſus vero lateris alterius per inſigne ſpatium ab altero in ſuperficie ſua ſuperiore ſeparatus, in baſi coniunctiſſimus ab ortu

ortu ſtatim videtur, neque non niſi foveola illa pone infundibulum, qua latent paris tertii origines, diſtinctum eſſe infra monebimus. Anterius enim in baſi, ubi definit diviſio loborum anteriorum, quae ab hiatu illo, qui durae matris falce repletur, incipiens, marginibus illorum interioribus intercedit, ante nervorum opticorum confluxum cohaerent uterque lobus, et proceſſus iſti modo enati, maxime per piam matrem, quae in hoc loco ab altero lobo ad alterum continuo ductu fertur, et cui ſuperſtrata eſt tenuis lamina medullaris, quae ventriculi tertii deſcendentem partem, a qua receſſus in Tab. III. expreſſus conſtituitur, claudit: tum iidem proceſſus, ſuper nervis opticis, qui ligaturae inſtar illos amplectuntur, arcte ſatis uniti, retrorſum pauloque deorſum migrantes, vulgari nomine *pedunculorum* vel *crurum cerebri*, maxima ſui parte, faſcibus quaſi nerveis compreſſis, quorum indicium exhibent inciſiones illae ſatis profundae, quas conſtanter in unoquoque ab exterioribus verſus poſteriora convergentes reperi, conſtare et conflari videntur, et anterius *tubere quodam cinereo* triangulari fere producto, a quo infundibulum et glandula pituitaria pendent, et e quo poſteriora verſus eminentia utrinque una candicans egreditur, in unum corpus coëuntes, foveolam tantum inter ſe relinquunt, qua eos quodammodo diſterminari dicere poſſis. Caeterum quoad colorem illa crura in foetibus, et infantibus neonatis longe ab albedine nervi tertii paris abeſſe obſervavi.

Ex utroque hoc proceſſu dextro ſcilicet et ſiniſtro (vel cruribus cerebri) natum corpus ſuper pontem (qui, ut infra demonſtrabimus, e tractibus medullaribus a cerebelli lobo altero

ad alterum transverſe eductis conſtruitur) pergens, cum illo intricatur nodi in modum, totum tamen cum illo non miſcetur; ſed ablatis aliquot taleolis de ponte, adeo diſtincte per illum pergere videbis crura cerebri, ut ne dextrum quidem cum ſiniſtro confundatur, ſed utrumque crus, ponte ſuperato, in ſui lateris pyramidale corpus degenerare.

Sed ad tuber illud cinereum, a quo pendet infundibulum, redeamus.

§. 13.

Deſcendit igitur in illis cruribus cerebri, pone coalitum nervorum opticorum, in media inter ea regione, unum quoddam cinereum corpus, quod uti anterius apicem quaſi dirigens, cum nervorum opticorum coaleſcentium ſubſtantia confunditur, ita etiam poſterius ex parte cum illis cruribus confluit, ex parte vero tranſit in duas globoſas medullares poſteriora, magis tamen interiora verſus exſtantes prominentias, quae in adultis albedinem et tuberis, e quo natae videntur, et crurum cerebri, quibus ſubjacent, ſuperant, interiora verſus globorum more in uno quaſi puncto ſeſe tantummodo tangunt, in exteriori vero et ſuperiori ſuperficie, cum ipſis cruribus et tubere, e quo exſtant, confunduntur, adeo ut exactius hemiſphaeria minuta, quam integros globulos repraeſentent. Eam vero albedinem, qua extus ſplendent, diſſectis illis non in intima usque penetrare, videbis, ſed intus in cinerearn ſubſtantiam tranſire. Variis admodum nominibus illas prominentias inſignierunt, *glandulas albas*, *glandulas pone infundibulum*, *protenſiones glandulares*, *protuberantias glanduloſas*, *eminentias glanduloſas*, *corpora glandula-*

*dularia, proceſſus glanduloſos, proceſſus mamillares vel papillares, cerebri portionem albam qua ſpinali medullae principium exporrigit, teſticulos, bulbos priorum crurum fornicis, protuberantias crurum medullae oblongatae, protuberantias orbiculares, eminentias papillares, prominentias albicantes* vocando; ſed nomen *eminentiarum candicantium*, vel *hemiſphaericorum tuberculorum* omnium optimum eſſe videtur.

Caeterum obiter hoc tango, in animalibus ruminantibus unam tantum mediam inter crura cerebri eminentiam candicantem, neque hanc perfecte hemiſphaeroiden, in cane vero et fele, uti in homine, duas ſemper me obſervaſſe.

## §. 14.

Illud autem tuber cinereum, quod poſteriora verſus in eminentias candicantes abire diximus, pone nervorum opticorum coalitum *i*), medio deorſum tranſit in appendicem quaſi conicam infundibuliformem, cui ob hanc formam, et quod perſuaſi eſſent veteres, per canalem eius humorem in cameris cerebri collectum exſtillare, nomen *infundibuli* dederunt, formam et uſum uno vocabulo indicaturi: alii vero eam χοανην, χωνην, πυελον, πτυελον, καπνοδοχην, *lacunam, labrum, pelvim colatoriam, ſcyphum, caput roſae, embotum, conchularem concavitatem, aquaeductum* appellarunt. Haec appendix, quam iam in foetu $5\frac{1}{2}$ menſium perfectiſſimam vidit *Ill. Praeceptor* WRISBERG *i**), potiſſimum ex ea parte cerebri, quae cinerea dicitur, conſtruitur,

*i*) Vitio pictoris in LANCISII infundibulum. fig. ad diſſ. de ſede cogitantis ani- mae ante nervos opticos poſitum eſt hum. p. 45.

*i**) Deſcript. anat. embryonis

tur, adeo, ut totam fere *laxiſſima et quaſi fungoſa ſubſtantia k)* factam eſſe, eleganter ſcribat Günz. Intus ſubſtantiam medullarem continere, tradiderunt Wharton *l)*, Verheyen *m)*, et Tarin *n)*. Oblique autem antrorſum ita fertur ad glandulam pituitariam, uti in tabula tertia exſtat, ut quo magis deſcendat, eo contractior fiat; veſtiri tantum membrana vaſculoſa et ea, quae dicitur arachnoidea, videtur; *componi ex illis* perhibet *Ill.* Murray *o)*, fere ut Varolius qui *membranoſam concavitatem*, et Verheyen qui *tubulum membranaceum a pia matre productum in glandulam pituitariam* vocat; vaſis *p)* diſtinguitur multis, ſubtilioribus, parallelis, quae circum illam deſcendunt ad glandulam pituitariam usque *q)*; at per foramen in ſuperficie durae matris non tranſit in glandulam pituitariam: *ſed fibrae quaedam*, obſervante celeb. Bonn *r)*, *circulares annulum quidem efficere videntur pro tranſitu extremi infundibuli, ſubtiliſſima vero integra ſimul et laevis D. M. ſuperficialis lamina, ſimiliter ac circa arterias, continuata ſupra glandulam, infundibulum intra vaginulam recipit, aſcendit, et ſimili introſuſceptione in arachnoideam continuatur*, quam etiam fabricam egregia icone I. illuſtratam apud eundem reperies.

Num

*k)* In ove cartilagineam eſſe Monro de methodo diſſecandi cerebrum p. 223. annotavit.

*l)* Adenograph. cap. 25.

*m)* C. H. anatomia. Bruxel. 1710. p. 223.

*n)* Adverſaria anat. p. 43.

*o)* Diſſ. cit. p. 2.

*p)* Eorum origines infra annotatae.

*q)* Bidloo in explic. tabulae nonae: Infundibulum propendens quædam cerebri e laxioribus mollibusque conflata fibrulis portiuncula, pituitariae glandulae non inſerta, ſed membranarum ope alligata.

*r)* Specimen anatomico-medicum inaugurale de continuationibus membranarum. L. B. 1763. §. XLV. pag. 36. recuſ. apud Sandifort.

Num vero canali, quem oculo conſpicere poſſis, praedita ſit ea appendix, non leviter diſceptatum et adhuc, ut ajunt, ſub judice lis eſt: hujus igitur rei hiſtoria paulo fuſius tractanda nobis erit, cum ad illuſtrandam intricatiorem illam, et ob inſignem in exercenda medicina utilitatem maxima attentione dignam, minus tamen noſtris temporibus hucdum enucleatam quaeſtionem, quibus nimirum viis natura humores e cerebro evehat, haud parum conferre mihi videatur. Prima infundibuli veſtigia apud RUFUM EPHESIUM *s*) exſtant; nervos enim opticos ad oculum abire κατὰ τὴν λεγομένην πυελίδα dicit; poſt hunc GALENUS *t*) de eo diſſeruit, cavumque eſſe contendit, οἱ μὲν, inquit, ἀπὸ τοῦ χήματος πύελον, οἱ δὲ ἀπὸ χρείας χοάνην ὀνομάζουσιν, ἐν μὲν τῶν ἄνω μερῶν οἷον δεξαμένης τινὸς παρέχει χρείαν, ἐν δέ τῶν κάτω, καθάπερ αὐτό τοὔνομα ἐνδείκνυται, χοάνην μεμίμηται - διατέτρηται καταντάντες (ἀιθητῷ πόρῳ) μέχρι τῆς κατὰ τόν ἀδένα *u*) κοιλίας· quem locum verbotenus ORIBASIUS *v*) exſcripſit, verbis ἀιθητῷ πόρῳ obſervante DUNDASSIO, additis, quae in editione Galeni Charteriana, qua uſus ſum, deſiderantur. Hanc de cavitate eius ſententiam omnis fere anatomicorum cohors, usque ad Collegii privati Amſtelodamenſis tempora, ſequuta eſt, adeo, ut ne dubitare quidem de illa ſuſtinuerint. Sequenti vero tempore egregii anatomici illam in dubium vocare, ſolidumque

*s*) περὶ ὀνομασίας τῶν τῦ ἀνθρώπου μορίων edit. Guiliel. Clinch. Lond. 1726 4. p. 54.

*t*) de uſu partium Lib. 9. Cap. 3. (edit. Charter. Tom. IV. p. 462.)

*u*) tum temporis enim κατ' ἐξοχήν vocabatur glandula pituitaria ἀδήν.

*v*) τὰ τῶν ΟΡΙΒΑΣΙΟΥ ἰατρικῶν συναγωγῶν ἐκ τοῦ Γαλένου ἀνατομικά, Pariſ. 8. — cum verſione vero latina, curante Guiliel. Dundaſſio, cuius notae acceſſerunt, prodiit L. B. 1735. 4.

que infundibulum vocare non ſunt veriti. Primum ſoliditatis infundibuli documentum 1665. d. III. Nov. obſervatoribus Amſtelodamenſibus, quorum in partibus ſubtiliter diſſecandis dexteritatem vel unum SWAMMERDAMII ſocii nomen probat, caput ovillum exhibuit; inquirentibus enim, *tranſitus in glandulam pituit. non apparebat, utpote cum ne flatu immiſſo vel minimum moveretur aut mutaretur x*). Neque VIEUSSENS *y*), quo forte nemo majori ſollertia et labore fere improbo cerebri nervorumque fabricam perveſtigavit, de cavitate ſibi perſuaderi potuit, *ſenſili*, enim inquit, *meatu ſecundum totam extenſionem donatum eſſe non apparere, ſed inferiorem illius partem inſenſibilibus poris inſtructam eſſe, hinc ſi immittitur liquor croceus ventriculo tertio, ſenſim infundibulum praeterlabitur et in glandul. pituit. immittitur.* Sic et RIDLEYUM, ſuis in cerebri anatome non deſtitutum meritis, ſolidum infundibulum ſtatuiſſe reperies. Neque CONR. VICT. SCHNEIDER hic praetereundus eſt, quippe quem expreſſe docuiſſe, viam a cavitatibus cerebri per infundibulum ad nares non patere, vel vulgo notum eſt. Equidem ſcire cupiens, quam de fabrica infundibuli foveret SANTORINI, ſubtilis, et naturam ſollicite perveſtigans inciſor, ſententiam, illum non modo in obſervationibus anatom., ſed et in eo opere quod cura cel. GIRARDI prodiit, et huic particulae diligentiam tribuiſſe magnopere gaviſus ſum: expreſſis vero verbis ſoliditatem infundibuli docet, in priori enim opere *z*), *quanquam commode*, ſcribit,

*x*) Obſervationes anatomicae ſelectiores Collegii privati Amſtelodamenſis, Amſt. 1667. p. 33.

*y*) pag. 49.

*z*) p. 71.

bit, *et luculenter in infundibuli cavum, qua priorem glandulam contingit, ſcrutari potuiſſem: nihilo tamen minus neque tenuis ſpecilli, neque aeris ope quidquam detegere datum eſt, quod ſive per infundibulum, ſive per appendicis caveam ad priorem glandulam duceretur:* in altero autem, ab ipſo infundibulum pervium negari, cum glaciem in eius principio defuiſſe viderit, quae eo usque ex ventriculo continuabatur, HALLER *a*) mihi auctor fide digniſſimus eſt. Eandem ſententiam et ill. LIEUTAUD *b*) ſuis obſervationibus ſtabilire annititur, nihil eſſe dicens, niſi cylindrum cinereum ſolidum, ob eamque cauſam et ſtipitem pituitariam (*tige pituitaire*) vocat. Hujus viri aſſerta HALLER ſua confirmat auctoritate: id enim *aliquoties ſibi, perinde ut* cl. LIEUTAUD *ſolidum viſum* eſſe tradit *c*); et alio loco, ubi data opera de infundibulo egit *d*), dubitat, num cavum ſit; *certe enim in cerebro gelu conſtricto, diſſectum caveam non habuiſſe, quam oportebat ex glaciali nucleo prodi*; quae obſervationes cum Santorinianis, quas allegavi, conveniunt. Sic et PETIT *e*) et TARIN *f*), cuius in cerebro diſſecando merita neminem fugiunt, ſoliditatem eius annotaſſe lego. Hiſce adjungam cl. SABATIER ad ſententiam Lieutaud accedentia teſtimonia, qui primum in compendio anatomico *g*), tum in alia regiae academiae Pariſienſi oblata commen a-

*a*) Goetting. gel. Zeit. 1775. Zug. 5. Stück; et in bibl. anat. Tom. II. p. 715.

*b* Eſſais anatomiques p. 341.

*c*) Icon. anat. faſciculo VII. in explicat. tab. Imae arteriarum cerebri nota c).

*d*) Elem. phyſiolog. T. IV. p 58.

*e*) in Anatomie chirurgicale de Mſr. PALFYN, quam edidit Paris 1753. 8.

*f*) Anthropotomie p. 267.

*g*) Traité complete d' anatomie Tome II. p. 49.

mentatione *h*), expreſſis verbis, impervium eſſe infundibulum, ſtatuit.

Deinde nec in morboſis cadaveribus hominum ob vitia cerebro moleſta vita defunctorum, vel quorum nonnulli cameris cerebri earumque receſſibus mire profecto expanſis laborabant, viri artis peritiſſimi, atque ab omni partium ſtudio quam maxime alieni contrariam ſententiam confirmari viderunt. Duos ex pluribus *i*) allegare liceat auctores: *Ill.* I. C. POHL *k*) (cuius inſignem benivolentiam, dum Lipſiam tranſirem, expertum me fuiſſe, grata mente recordor), qui *infundibulum ne guttulam quidem recepiſſe*, narrat, *ventriculis cerebri aqua repletis*: et cl. GREDING *l*) (qui ob inſignem in cerebro incidendo dexteritatem, et obſervationum editarum tum novitatem, tum praeſtantiam, laudem ſibi paravit ſempiternam), qui *ſepties* cum data opera in eam rem inquireret, *clauſum* ſe vidiſſe annotavit: *In tribus enim ſexagenariis majoribus, quibus acceſſerunt tria quadragenariorum, et alio viginti tantum annorum perfecte clauſa infundibula* obſervavit *m*), ſic et Vol. II. pag. 654. tradit, *haud raro illam ab interno etiam ampliſſimoque principio undequaque clauſam infundibuli viam inveniri* - - eamque ſoliditatem, quam efficiebat *con-*

*h*) Mem. preſentées l'année 1773. Paris 1776. ſive Tom. VII. p. 599.

i) v. c. LOWER de corde p. 255. et A. BRUNN, de gland. pit. p. 191. qui glandulam pituitariam, ubi inſerebatur infundibulum, gelatina viſcida oppletam, et Ill. MURRAY diſſ. cit. p. 4., qui in vetula, quae hydrope anaſarca laborarat, illud tel. cell. oppilatum viderunt. GREDING vero adv. med. pr. Vol. II. p. 654. perhibet, ſe talem laxum irregularem contextum cell. qualem MURRAY deſcribit nunquam inveniſſe.

*k*) Progr. de effuſis in cerebro aquis. Lipſ. 1763.

*l*) Adverſ. med. practic. Vol. III. p. 653.

*m*) ibid. Vol. II. part. II. p. 515.

*conſtipata, diaphana, tenſa tamen firmaque tela celluloſa, vix a morbo, quippe a quo nihil regulare, conſtans vel uniforme exſpectari poteſt, nec a ſenio profectam eſſe apparere.* Ante vero quam meam ea de re, experimentis, tum ab *Ill. Praeceptore* WRISBERGIO mecum communicatis, tum a me ipſo, ad dirimendam hanc quaeſtionem, vario modo, praeſentibus amicis, propria manu C. H. fabricam luſtrantibus, in theatro anatomico Goettingenſi, auxiliante ipſo PRAECEPTORE, domi etiam frequenter ſatis inſtitutis, ſaepiusque in ſenibus, junioribus, et puerulis, nec non in animalibus repetitis, confirmatam ſententiam proponam, eos, qui contrariam opinionem defenderunt, auctores reticere nefas duco, quo facilius collatis utriusque partis argumentis, quorum ſententia ſit praeferenda, judicari poſſit.

Unanimi quaſi conſenſu, a GALENO ad praeteriti usque ſaeculi tempora, omnes in eo conveniſſe, ut infundibulum canalem eſſe putarent, jam ſupra indicavi; quorum nonnulli argute ſatis rem propoſuerunt, alii vero futilibus argumentis ſuam defendere ſententiam conati ſunt. Sic HIER. MERCURIALIS in Epiſt. ad VAROLIUM miſſa *n*): *Tu Varoli*, inquit, *nec aerem per nares in huiusmodi ventriculos contra multorum ſententiam penetrare poſſe, contendis; et tamen expergefacti homines pituitam palato multam excernunt, quae nullibi quam in cerebri cavitatibus collecta eſſe potuit.* Defendens ſeſe VAROLIUS *o*) viro, auctoritate tum

*n*) p. 188.
*o*) Reſponſ. ad H. MERCURIALEM eius epiſt. de nervis opt. annexa.

tum temporis plurimum valenti, concedit, *pituitam e ventriculis cerebri ſecerni, nihilominus ſpiritus ibi detegere poſſe;* ſed huius pituitae fontes non per infundibulum ex cameris cerebri derivandos eſſe, refutare noſtris temporibus ridiculum foret. Foramen infundibuli quaſi ad probandam cavitatem non praetermiſſum eſſe ab EUSTACHIO, LANCISIUS in explicatione tabulae XVII. annotavit: RIOLANUS *p*) infundibulum ingenioſe, ut putat, cum manica oinocratica comparavit: et MOLINETTI *q*) *perenni aqua ſcatere* opinatus eſt. Multo vero ingenio acutiorem LOWERUM *r*) reperies, qui per canalem infundibuli e cameris cerebri in glandulam pituitariam delatos humores venarum ope reſorberi putat: COLLINS *s*), (an experimentis inſtitutis eo ductus ſit, dubitandum) pronior ad hanc ſententiam eſſe videtur: nec etiam BIDLOO praetermittendus, qui tamen et hic aliorum errores ſequutus eſſe videtur, adeo ut vix fidem mereatur. COWPER *t*) vero qui RIDLEYI (cavitatem infundibuli negantis) tabulas recudit, in eo ab ipſo recedit, quod flatu diſtendi opinetur. Neque hoc loco ſilentio praetereundus eſt LITTRE, quippe qui, fuſe ſatis de glandula pituitaria agens *u*), infundibuli mentione facta, flatum per illud immiſſum in ipſam cineream glandulae ſubſtantiam usque penetraſſe, illamque extendiſſe, tradit; ſed fides ſit penes auctorem. Ulterius adhuc I. C.

*p*) Anthropograph. Lib. 4. p. 389.
*q*) Diſſ. anat. path. L. IV. C. 18.
*r*) tract. de corde. acc. Diſſ. de catarrhis, edit quinta 1708. L. Bat. 8. p. 247.
*s*) Syſtem of Anatomy p. 1022.
*t*) in explicatione ab ipſo recuſarum RIDLEYI tabularum, tabulis quas e BIDLOO furatus erat, in fine annexarum.
*u*) Mem. de Paris 1703.

C. ABRUNN, in peculiari de glandula pituitaria dissertatione, processit: *forte*, ait, *hic aquaeductus* (ita enim vocat infundibulum) *pollet virtute peristaltica, quemadmodum pleraque vasa excretoria - - quod exinde patet, quia inflatione dilatatus statim iterum constringitur, discissus et explicatus sponte iterum colligitur - - quin ausim dicere vix dari anatomen cerebri, quin aliquid humoris in infundibulo reperiatur.* Sed qui ex elatere quodam ad vim peristalticam argumentari potuerit, non intelligo. TEICHMEYERUM *x*), cum ipse LITTRIUM contra HEISTERUM sequi fateatur, nihil necesse esse pluribus commemorare. Sic et WINSLOW *y*) ad LITTRII sententiam accedens cavum illud esse repugnat. Argumentum vero a LUDWIGIO *z*) prolatum vix tanti esse arbitror, ut aliquid ad cavitatem infundibuli demonstrandam conferat: *descensum lymphae*, inquit, *per infundibulum in juvene didici, qui epilepticis insultibus affectus, levamen sensit ex capite post insultum in anteriora proclivi* &c. quanquam in descriptione eorum, quae post mortem apparuerunt, addat, infundibulum quodammodo distentum fuisse. Sic et teste RICH. LOWER l. c. p. 254. in iuvene, qui lethargo laboraverat, et per duas septimanas convulsus obiit, ventriculi aqua tumidi reperti sunt, et tota cerebri basis et medulla oblongata fero extravasato, et in fundum calvariae decumbenti immersae erant, *infundibulum summe distentum apparebat, et hac unica observatione*, inquit, *magis constabit humorem in ventriculis cerebri contentum non alia, praeterquam per infundibulum, via transire.* Caeterum et MONRO *a*) infundibu-

*v*) Glandulae duodeni &c. accedit diss. de glandula pituitaria, Frf. 1715. 4. Cap. 3.

*x*) Progr. de lympha cerebri. Ien. 1728. §. 1.

*y*) Tome IV. nro. 84. pag. 161.

*z*) Epist. ad HALLER Tomo III. nro. 411. p. 9.

*a*) de methodo dissec. cerebrum, edit. Coopmanns p. 223.

dibulum lympham e ventriculo tertio et quarto devehere teſtatur. Venio nunc ad virum doctrina illuſtrem ADOLPH. MURRAY, cuius paucos ante annos, in illius partis favorem prolata ſententia, potiſſimum me impulit, ut diligentius in hanc rem inquirerem; omnibusque experimentis, quibus cavitatem demonſtrare ſtuduerunt, repetitis, quid ſtatuendum ſit, repeririſſe mihi videor. Contendit autem vir Ill. canalem infundibuli pro varietate cadaverum magnitudine differre, ita ut mox pennae columbinae ambitum, mox duas tertias partes anſerinae aequet; interdum praecipue in ſuperiori parte majorem eſſe; in infantibus vero, illisque, qui ſunt laxioris habitus, infundibulum ſolito grandius eſſe: idem coni in modum in inferiori parte anguſtius factum iterum dilatari, adeo ut paulo ultra medium tenuiſſimum ſit; vaſis autem ab arteria corporis calloſi impertiri; quod quidem ipſe non vidi, ſed, uti in cerebris, quae in humore idoneo nihil corrupta conſervo, vaſis eorum arte repletis, cerni res adhuc poteſt, ſemper utrinque arterias ſuas partim e carotidis internae trunco ipſo, partim ex arteria communicante nanciſcitur, quae cum illis arteriolis, quas rami anteriores carotidum internarum mox in arterias corporis calloſi transeuntium ad nervorum opticorum coalitum ſpargunt, anaſtomoſin faciunt; cuius rei teſtem video etiam HALLER *b*), qui eandem fabricam, quam nunc in cadavere contemplor, deſcripſit. Cavitatis porro teſtes praeter WILLISIUM allegat DIEMERBROECKIUM et MANGETUM: ſe ipſum etiam in quatuor cadaveribus ſectis totum infundibulum pervium obſervaſſe, contendit, quod optime e cerebris congelatis demonſtrari poſſe ipſi videtur; canalem

*b*) Elem. phyſ. T. IV. p. 124.

nalem hunc in ramum duplicem, posteriorem minorem, et anteriorem maiorem abiisse, ductus denique similes illis, quos LOWER l. c. statuit, e glandula pituitaria humorem deferre, tradit.

Novissime demum Ill. GREDING *stylo tenui perquisitum, nec solidum, nec obturatum, sed potius pervium haud raro aqua plenum* vidit c), et *quoniam aperta naturalia esse censuit, semel se tantum annotasse, in sectione epileptico-maniaci infundibulum prorsus apertum viamque ad gland. pituit. liberrimam fuisse - - hanc igitur*, pergit, *ob rationem facile quidem persuadeor, infundibuli viam plerumque quidem apertam esse d).*

Sed per singula eundum: I. Vix eo adduci possum, ut credam, si tantae magnitudinis esset canalis, ut fere ad anserinae pennae magnitudinem accederet, tantos viros, quorum nomina supra allegavi, latere eum potuisse. II. Totum infundibulum raro superare pennam columbinam vidi, ut nullo modo intelligam, qui canalis ipse quem ne conspicillo quidem vidi, eadem magnitudine gaudere possit. III. Experimenta, quae stylo instituuntur, ad dirimendam hanc quaestionem vix idonea esse arbitror, facile enim eiusmodi stylo canalis efficitur, qui ante nullus aderat. IV. Eodem jure et experimenta, quae congelato cerebro instituuntur, non solum ut ambigua, sed etiam ob nimiam violentiam, qua cerebrum afficiunt, non admittenda esse censeo: SANTORINI enim, HALLERI, et *Ill.* WRISBERGII observationes contrariam omnino sententiam confirmant; vel enim nullus nucleus glacialis apparebat in infundibulo, vel in reliqua cerebri parte ubique inter me-

c) Vol. II, part, III, p. 515.

d) Vol. II, p. 654.

medullam majores adhuc nuclei glaciales inveniebantur illo, qui ex infundibulo eglubi poterat; nimia vero violentia frigus in cerebrum molle et tenerrimum agere, vel exinde patet, quod infundibulo longe tenaciora vasa vitrea, aqua, quibus repleta sunt, gelu constricta, diffracta dissiliant. V. Neque flatum immissum, (experimento faciendo ceteroquin idoneum, cum non impetu agat, sed eum pro diversitate partium moderari possis), cavitatem demonstrare saepius expertus sum, licet LITTRE per illud cineream glandulae pituitariae partem se extendisse, et COWPER et BRUNN inflatione dilatatum statim iterum sese contraxisse, tradiderint. VI. Cerebro ita locato, ut infundibulum cum glandula pituitaria libere penderet, per angustum foramen, apertis ventriculis immisi mercurium, qui vero, cum omnem, qui in ventriculis esset, humorem expelleret, valvulamque cerebelli egregio spectaculo attolleret, nunquam in infundibulum nedum per illud in glandulam pituitariam penetrabat. VII. In ventriculum tertium, remotis iis, quibus circumdatur, et humore, quo madebat, quantum absque laesione fieri posset, spongiae ope absorpto, mercurium immisi, ita ut certus essem, eum ad eam regionem, qua in infundibulum abiret, pertingere, ibique gravitatis suae vires exserere; sed ne globulus quidem in infundibulo apparebat. VIII. Tum mercurii quantitate adeo adaucta, ut eius pondus paries inferior ventriculorum sustinere amplius non posset, nunquam per ruptum infundibulum vel glandulam pituitariam, sed per eam regionem, qua ventriculus tertius ope piae matris, et tenuis incumbentis laminae medullaris

ris clauditur, in tabula III. 3. 4. interdum inter piam matrem et medullam ipſam nervi optici exitu ſibi parato, magna vi prorupiſſe vidi. IX. Alio experimento, Vieuſſeniano nimirum, in hanc rem inquiſivi; eodem enim modo, quem nro. VI. dixi, locato cerebro ventriculoque tertio aperto liquorem croceum *e*) inſtillavi, ut, ſi forte viam per infundibulum in glandulam pituitariam legeret, colore proderetur; ſed miro ſane modo, liquor ille dicta regione ante nervos opticos ſimiliter tinctos effluens, ne minimum quidem ſui veſtigium neque in infundibulo, neque in glandula pituitaria oſtendebat. X. Eundem exitum experimenta in capitibus vitulinis habuerunt. XI. Idem etiam eventus fuit, infundibulo eo loco, quo in glandulam pituitariam quaſi tranſit, abſciſſo. XII. Falluntur etiam, qui infundibula brutorum cava affirmant; etenim in his breviſſimum facile in eximendo cerebro ita abſcinditur, ut culter in ventriculum tertium ipſum penetret; hinc argumentum ab analogia deſumtum omnino rejiciendum.

Sed neque morboſa cerebra pervium ſemper infundibulum demonſtrare, perſuaſum habeo. XIII. In infante enim ingenti hydrocephalo exſtincto Celeb. WRISB. infundibulum neque ſolito majus, neque aqua diſtentum reperit. XIV. Nec ipſe in infantulo partu laborioſo enecato, cui et inter ea, quae capitis oſſa circumdant, integumenta, et inter duram membranam et encephalon, et in ipſos cerebri cameras, inſignis ſanguinis effuſi coagula inveni.

*e*) Eſſentiam croci dicunt pharmacopolae.

veni, vidi ſanguinis grumulis infundibulum repletum, licet inflammatum quaſi, diſtentis et infarctis vaſculis, apparebat. XV. Nec denique in vetula, quae apoſpasmate piae matris *f*), vero cerebri hydrope, laboraverat, infundibulum inſoliti quidquam oſtendere memini. XVI. Eadem experimenta in ſenibus adultis et infantibus inſtituta parem habuerunt exitum.

Sed haec de infundibulo ſufficiant. Quibus omnibus absque partium ſtudio rite mecum perpenſis, non potui non amplecti illorum virorum ſententiam, qui infundibulum ſi non perfecte ſolidum, certe non conſpicuo, uti veteres opinati ſunt, canali perforatum eſſe, cenſuerunt.

*f*) vide nervi tertii hiſtoriam.

LIBRI

# LIBRI SECUNDI

## SECTIO III.

### §. 15.

Altera encephali portio, quae in hominibus ex obſervationibus Ill. WRISBERGII $\frac{3}{9}$ vel $\frac{1}{12}$ cerebro minor eſſe ſolet, *cerebellum*, παρεγκεφαλὶς, ἐπεγκρανὶς, ἔγκρανον, *appendix ad cerebrum*, *cerebrum parvum*, cum partem ſui plus quam dimidiam in baſi exhibeat, ſilentio praetermitti hic jure meritoque non poteſt. Locata eſt infra cerebrum in ea oſſium capitis camera, quae unice tantum in oſſe occipitis excavata, anterius a parte petroſa oſſis temporum tanquam valle diſtincta, ſuperne tentorio durae membranae a camera cerebri terminata, proceſſu denique falciformi minore in medio oſſe occipitis deſcendente bipertita, *cerebelli camera* ab oſteologis appellatur. Eadem dura membrana in tentorium expanſa anterius amplo foramine hiat, per quod proceſſus cerebri trajiciuntur, cum cerebelli medulla jamjam conjungendi. Dividunt ſatis commode omne cerebellum, quod proceſſu falciformi bipertitam cameram replet, in duos *lobos* (hemiſphaeria vel globos) forma et volumine fere aequales, dextrum et ſiniſtrum, mediamque inter eos, qua cohaerent, partem, vocabulo ex brutis diſſectis nato, *vermem* vocant; alii vero duos eiusmodi vermiformes proceſſus in homine adeſſe perſuaſi, ſuperiorem et inferiorem *a*) diſtinguunt. Interdum lobi profundius diviſi, et latius diſtantes, valleculam †) lobis interjacentem relinquunt, interdum vero vix diſſiti conſpiciuntur. Hinc in tabula prima in poſteriori et media parte diſtare videbis, quae in ſecunda hoc loco fere ſeſe attingunt.

§. 16.

*a*) Vide tabulae tertiae explicationem.

†) in tabula I. lit. E conſpicuam.

## §. 16.

Cerebellum, nullo modo, quamvis multi id tradiderint, cerebri ſubſtantia durius, in ſuperficie exteriori eodem, quo cerebrum, modo ſulcis gyrisque diſtinguitur, involucris tegitur eisdem, membranae vaſculoſae proceſſus fere iidem in ſulcos, quorum habitum optime tabula III. declarat, demittuntur; ſed in eo recedit, quod ſulci et multo profundius in ſubſtantiam penetrent, et diverſam directionem ſequantur, eamque ob cauſam diverſos etiam gyros producant. Horum ſulcorum plerique ſunt verſus exteriora convexi, alii vero alias vias legunt. Gyri, ob terminorum, quibus includuntur, anguſtiam *annuli* vel *laminae cerebelli* dicti, transverſim diſſecti, ut tabula tertia lit. G. oſtendit, aliis minoribus ſulcis dividuntur, unde *lamellae*, quas *folia* MALACARNE vocat, oriuntur; in eoque maxime a cerebri fabrica recedunt. Nec praeterea (quod in cerebri gyris conſpicitur) ulla horum gyrorum in oſſea camera, qua recipitur cerebellum, impreſſa veſtigia reperies, cum minus lati et convexi ſint illis, quibus cerebrum diſtinctum eſſe ſupra diximus. Impreſſiones enim *digitatas* vulgo dictas, quae a cerebro in illis capitis oſſibus, quibus camera ipſius conſtruitur, factae inveniuntur, vel ſi hoc magis arrideat, juga illa oſſea, quae ſpatium, quod inter duos gyros intercedit, replent, quo ſimul efficitur, ut theca oſſea in adultis quoddam quaſi ſit gyrorum cerebri ſimulacrum, in oſſe occipitis deſiderabis. Eosdem vero ſulcos non ab arteriis ſuperficiem quaſi lambentibus gigni, vel fugitiva cerebelli, a quo vaſa nondum ablata ſunt, inſpectio docet; arteria enim cerebelli inferior, ſuper omnes gyros tranſcendens, ablata etiam ſui veſtigia ubique relinquens,

ne

ne majoribus quidem ramis ſulcorum ductus ſequitur. Deſcribendi horum ſulcorum variam directionem profunditatemque, et verbis veluti pingendi labori ſuperſedeo, quippe cum fuſa ſatis de his exſtet deſcriptio, quam MALACARNE *b*) dedit; cujus liber exacte ea, quae hic enarranda eſſent, explicare mihi videtur. Quare ea tantum, quae in illo HALLER *c*) deſideravit, tabulas ſcilicet, me addidiſſe ſatis habeo; ſufficere vero indicem pleniorem exiſtimans, eos, qui reliqua nota ſibi reddere cupiant, ad explicationem tabulae ſecundae et tertiae relego, cui, quae praeterea habui addere, inſerui.

## §. 17.

Ex uniuscujusque autem folii ſubſtantiae cinereae *) medio lamellulae medullares naſci videntur, quae mox cum vicinis in ramos quosdam collectae, utrinque *truncum* inſignem *e mera medulla conſtantem* formant, qui anteriora et ſuperiora verſus in *proceſſus cerebelli ad corpora quadrigemina* exit, deinde interiora verſus *crura cerebelli ad pontem*, ipſiusque ſimul pontis tractus medullares transverſos, qui in baſi apparent, conſtruit, maxima denique ſui parte poſteriora et inferiora petens, ad formandam medullam ſpinalem demittitur. Truncus autem hic medullaris, in tres, quos modo dixi, proceſſus progrediendo diſperſus,

*b*) In nuova eſpoſizione della vera ſtruttura del cervelletto umano di Vicenzo Malacarne, Turin 1776. 8.

*c*) Goetting. gel. Anz. 1777. Zugabe 29. Stück.

*) Cerebelli ſubſtantiam triplicem quodammodo dici poſſe, cineream ſeu corticalem, medullarem, et inter has *mediam*, colore fuſco flavescenti imbutam, quae ex corticali producta ſenſim in medullarem abit, interdum etiam, macerato cerebro, a corticali ſeceſſiſſe mihi viſa eſt, primum me docuit cerebelli equini diſſectio, deinde etiam in omnibus, quotquot ſecui, hominum encephalis confirmatum vidi.

fus, non omnino ſolidus conſpicitur, ſed in medio cavum quoddam includit, cui nomen *ventriculi quarti* dederunt. Minus vero placet communis opinio, qua, inverſo naturae ordine, arborem vitae *d*) (ſic enim truncum illum medullarem vocant) in ramos, et hos in ſurculos vel folia abire autumant.

Proceſſus iſti tres in utroque latere e trunco medullari cerebelli modo enati, ita ſibi viciſſim accumbunt, ut eos conflari dicas; quanquam ſatis adhuc diſtingui poſſunt. Inter proceſſum enim primum, eum, quem ad nates abire ajunt, vel qui ſuperiori parte proceſſus medullaris cerebri (cruris cerebri) confluit, ſiniſtrum et dextrum *ſulcus*, quem *calamum ſcriptorium* vocant, intercedit; alterum vero proceſſum dextrum a ſiniſtro, quocum intimius conflatur, *arteriae baſilaris* ſuccumbentis impreſſo *veſtigio* quodammodo diſtingui dicas; tertius denique dexter, in medullam ſpinalem abiens, totus a ſiniſtro ſeparatur *ſulco* illo *inter corpora pyramidalia inciſo*, cui continuatio ſulci proceſſus ſuperiores cerebelli calami ſcriptorii nomine dividentis occurrit, adeo ut certo affirmari nequeas, cui ex his ſulcis diviſio iſta praecipue debeatur. Quae omnia declarant, medullam ſpinalem bipertitam non immerito dici.

## §. 18.

Proceſſus cerebelli *ſecundus*, trium dictorum proceſſuum in homine maximus, et unus *d**) tantum, leniter oblique aſcendens,

*d*) Eam forte ob cauſam ita vocarunt, quod perſuaſum habebant, a cerebello organa ad vitam neceſſaria nervis inſtrui, vel ut dicere amabant, nervos vitales a cerebello egredi.

d*) In variis enim animalibus duplex invenitur.

dens, ad interiora ſenſim quaſi lateſcens procedit, ita ut arcus potius quam anguli more convergendo cum altero confletur; tum proceſſibus cerebri illum ſuperantibus, vel potius in illius ſubſtantiam penetrantibus, quos *crura* vocant, adeo intricatur, ut aegrius explicari queat; minime tamen nec exteriora nec interiora verſus cum illis confunditur. In ſuperficie enim inferiori, ea nimirum, quae in baſi apparet, ſtriis ſulcisque non paralelis, ſed ſaepe ſe mutuo decuſſantibus, partim ex arteriis natis, partim proprio fibrarum nervearum, e quibus componitur, ductu ortis, diſtinctus, disterminatur in anteriori parte a proceſſibus medullaribus cerebri margine vel ſulco multo majori illo, qui in poſteriori parte illum a proceſſibus cerebelli ad medullam oblongatam et corporibus pyramidalibus ſeparat, adeo ut hic *poſterior margo* vel ſulcus longitudine vix tertiam partem *marginis anterioris* ſuperet. Ferri a lobo cerebelli altero ad alterum hunc proceſſum, ita ut ſuper cerebri proceſſus medullares, crura cerebri dictos, quos fluminis inſtar ſub illo currere arbitratur, pontis inſtar exſtructus ſit, exiſtimavit VAROLIUS *e*), eamque ob cauſam *pontis cerebelli* nomen illi dedit. Quae denominatio licet ideo ſit rejicienda, quod non ſupra ſed infra illos proceſſus cerebri, crura dictos, a lobo altero ad alterum pertineat, defendi tamen poteſt, ſi tractibus iſtis medullaribus transverſis, e quibus proceſſus cerebelli ſecundi conſtant, lobos cerebelli, uti ponte littora, coniungi dicamus.

Alii hunc cerebelli proceſſum medullarem *protuberantiam annullarem* WILLISII, vel *nodum* vocarunt, plerisque vero *pons* VA-

*e*) Inventum deſcribit, de nervis optic. p. 191.

VAROLII *f*) appellatur, qui tamen illum *pontem cerebelli* nominavit.

## §. 19.

*Proceſſus poſteriores cerebelli* in medullam ſpinalem degenerantes, incuneatis quaſi inter ipſos proceſſuum cerebri (crurum) continuationibus, diſtinguuntur; quae, ponte ſuperato, accepto *corporum pyramidalium* nomine, emergentes et ſulcis transverſis ſuperficiem vix penetrantibus inciſae, rima dividuntur, et quo magis in canali vertebrali deſcendunt, eo magis extenuantur. Proceſſus iſti poſteriores modo enati, in ſuo quisque latere in prominentiam ſemiovalem ejusdem, qua proceſſus ipſi gaudent, medullae, exteriora verſus exſtantem aſſurgunt, quam, quo jure neſcio, cum neque formam neque colorem olivae imitetur, *corpus olivare* dixerunt. Semel ex utroque proceſſu poſteriori in macerato cerebro hanc prominentiam, veluti nucleum e putamine, nulla vi adhibita enucleare contigit.

Plurimum autem ad efformandam ſpinalem medullam conferre cerebellum, vel exinde patet, quod homini, cui pro mole cerebri maxima minimum eſt cerebellum, et minima ſit medulla ſpinalis; brutis vero majori cerebello gaudentibus haec etiam longe major ſit; hinc et in monſtro bicorporeo monocephalo, quod celeberr. JOS. THAD. KLINKOSCH *g*) deſcripſit, duplici medulla ſpinali gaudente duplex aderat cerebellum; magno argumento, illam potiſſimum e cerebello prodire: quamvis non igno-

*f*) *Pons Sylvii* longe aliud quid, *corpora quadrigemina* nempe ſignificat.

*g*) Progr. quo anatomicam monſtri bicorporei monocephali deſcriptionem proponit, cum tabulis figurarum 1767. Vetero-Pragae, 4. Tab. VI.

ignorem, SALTSMANN *h*) expreſſis verbis ſcripſiſſe, *ſe perſuaſum habere, medullam ſpinalem a ſolo cerebro non item a cerebello originem ducere.*

## §. 20.

Immediate ex cerebello meo quidem judicio prodire videntur, excepto nervo ſexto, nervus quintus, communicans faciei, auditorius, gloſſopharyngaeus et vagus. Mediante vero medulla ſpinali et reliquos omnes ſpinales nervos plurimum ipſi debere, negari nullo modo poteſt. Interim tamen non contradicam, ſi quis etiam ad nervum ſextum et quartum conferre aliquid cerebellum contendat.

Sed haec de baſi encephali hactenus. In qua deſcribenda naturam ducem unice ſequutus ſum, ad cujus exemplar, cum inſigni cadaverum copia non deſtituerer, quae ſcripſi, elaboravi, et, quae viſa mihi fuerunt, fideliter tradidi; ſcriptorum itaque, quos legere contigit, copiam in medium proferre, quod quidem faciilimo negotio fieri poterat, nolui, ſelectiorum tantum, ex illis, quos allegare neceſſe erat, facto delectu; additis praeterea, quae annotanda habui, in quibus nihil magis mihi cordi fuit, quam ut perveſtigatu difficilis, narratu adhuc difficilior baſeos encephali hiſtoria perſpicua, quantum fieri poſſet, evaderet. Monendi vero a me lectores, ne, quae in deſcriptione ſuperiora dicuntur, in tabulis ut ſuperiora quaerant, cum omnia ibi inverſa repraeſententur. Quarundam vero rerum, neque hic inepto loco

*h*) I. R. SALTSMANNI varia obſervata anatomica hactenus inedita — edente TH. WYNANTS, Amſt. 1669. 12. p. 41.

loco proferendarum, explicationem libro quarto inſerui: ſic enim optime repetitiones, quae taedium lectoribus crearent, vitari potuiſſe arbitrabar.

LIBER

# LIBER TERTIUS

## DE ORIGINIBUS NERVORUM PER OSSA CAPITIS EX ENCEPHALO EGREDIENTIUM.

### SECTIO I.

### DE NERVO OLFACTORIO *).

§. 21.

Diverſas maxime tum antiquorum tum coaevorum de nervo noſtro ſententias foveri, ſuo tempore iam qveſtus eſt VAROLIUS *a*). Nomina etiam, quae huic pari tribuerunt, admodum varia, fabulasque, quas vel neglectum anatomes ſtudium peperit, vel coecus et pertinax antiquitatis amor produxit, ſapientia reperies; nec non deſcriptiones mire ſaepe e brutorum et hominum fabrica confuſas fuiſſe animadvertes, quas profecto non intelliget quisquam, niſi ſit in utraque re probe verſatus. Proinde mirabitur nemo, maximas ſaepius inter atavos noſtros rixas concitaſſe huius nervi hiſtoriam; ad cuius nomina recenſenda me iam confero.

Omnium fere, quorum ſcripta ad noſtra usque tempora pervenerunt, GALENUS primus de eo mentionem fecit. Sed ante

*) Omnibus fere, paucis tantum exceptis, a GALENO usque ad WILLISII tempora nomine primi venit nervus opticus. DIEMERBROEKII vero olfactorium eſt ramus primus quinti noſtri cum quarto pari coniunctus.

*a*) de nervis opt.

ante eum HEROPHILUM et MARINUM hocce par in numerum nervorum non recepiſſe, ex ipſo GALENO *b*) colligas, in nervi auditorii deſcriptione dicente, ſe MARINUM in numerandis paribus ſequi *b**). Vocat autem nervum noſtrum *ἀποφύσεις*, quod nomen, obſervante SLEVOGT *b***), ex plurimorum ſententia ARISTOTELI tribui non poteſt; in libro vero *περὶ ὀσφρήσεος ὀργάνε*, illum *νεύρων μικρὰ* appellat, et in alio libro *c*) *ὀσφρητικὸν πόρον*; quae omnia demonſtrant, non immerito eum a VESALIO *d*) argui, quod boum cerebra adhibuerit, cuius judicium recentiori etiam aetate WEITBRECHT *e*) confirmavit. In libro vero de *diſſectione nervorum* illius mentionem non fecit. Quare vero in numerum parium non receperint anatomici, huius rei rationem ipſe reddit in libro XI. quem de uſu partium conſcripſit *f*): - - *οὐ συναριθμοῦντες (συζυγίαις) δηλονότι τὴν ἐπὶ τὰς ῥῖνας, ὅτι μήτε νεύρων ἐνφύσεις ἔχει, καθάπερ αἱ λοιπαὶ, μήτε διεκπίπτει τῶν ὀσῶν ἐντὸς - ἀλλὰ πρώτη ἀπόφυσις ἀριθμεῖται τὰ μαλακὰ νεῦρα τῶν ὀφθαλμῶν κ. τ. λ.* quem locum ex ipſo fonte repetii, cum hisce argumentis innumeri fere auctores, GALENI nomen reticentes, ſaepe uſi ſint; pari modo ORIBASIUS, Galeni epitomator, *ἀποφύσεις τῶν προσθίων κοιλιῶν* vocavit; minus autem nobis placet RASARII verſio, qui *exortus anteriorum ventriculorum* vocat; pleriſque enim anatomicis *ἀποφύσεις proceſſus* appellantur. Caeterum ele-

*b*) de nerv. diſſect. c. 7. edit. Charter. p. 243.

*b**) cf. infra nervi auditorii hiſt.

*b***) § 3.

*c*) De uſu partium L. 8. c. 7. apud ORIBASIUM p. 44.

*d*) de radice chinae p. 648. edit. ALBINO BOERHAAV.

*e*) Comm. Petropol. T. XIV. pag. 277.

*f*) cap. 9. edit. Charter. T. IV. p. 517.

eleganter ſatis, ſed brutorum, olfactus organa deſcripta invenies. THEOPHILUS a dignitate PROTOSPATHARIUS dictus *h*) primus ut videtur, GALENI ſententia relicta, pro primo pari illum habuit, nec tamen nihil ex brutis deſumſiſſe videtur. AVICENNAM eos *additamenta cerebri ſubtilia* vocaſſe SLEVOGT *i*) tradit. MUNDINUS *k*) *carunculas ſimiles capitibus mammillarum* appellat: Sequenti anno MCCCCCI. MAGNUS HUNDT *l*) in explicatione figurae in pagina ſecunda expreſſae itidem illos *caruncularum* nomine indicare voluit, primusque illorum figuram dedit, eam tamen, quam absque appoſito nomine non intelligas. I. MATTHAEUS DE GRADIBUS, qui illos *carunculas mammillares aſſimilatas duobus capitibus mammillarum, quae ſunt de ſubſtantia cerebri*, appellavit, GABRIEL DE ZERBIS, et ALEX. BENEDICTUS *m*), pro nervo habentes conjugii *tertii* locum illis tribuunt. Interdum ſe non reperiiſſe, interdum vero et vidiſſe et demonſtraſſe, ingenue fatetur ALEX. ACHILLINUS. JAC. BERENGARIUS CARPENSIS, alias ſimpliciter CARPUS dictus, MUNDINI commentator, verum eſſe nervum, ſed mollio-rem contendit; eundem *clavae ſimilem* dictitans, in Iſagoge ſua *n*)

*carun-*

*h*) de humani corp. fabric. L. IV. cap. 2.

*i*) §. IV.

*k*) JO. KETHAM de anathomia et diverſis infirmitatibus C. H. cui annectuntur multi alii tractatus per diverſos excellentiſſimos Doctores compoſiti, nec non anathomia Mundini. Impr. Venetiis anno MCCCCC. die XVIII. Martii — capite de elevatione cerebri. 4.

*l*) Antropologium de hominis dignitate et natura per M. HUNDT, Liptzick. 4.

*m*) Anatomice, ſive hiſtoria C. H. Eucharius excudebat 1527. 8. cap. 14.

*n*) Iſagogae breves et exactiſſimae in anatomiam H. C. per illuſtrem medicum CARPUM, Argent. 1530. 8.

*caruncvlas mammillares*, et alio ejusdem libri loco *nervos* appellat. NICOLAUS MASSA expreſſis verbis *primum par nervorum deſcendentium ad nares o)* vocans, juſto illos inſeruit loco. Simul vero tacite ab illo perſtringi VESALIUM, et *veluti plagiarium furtivis pennis inſtar corniculae Aeſopicae exornatum ſugillari*, indicat RIOLANUS *p)*. Nec eam ob rem aſſentiri poſſum AIMÉ MATHEI *q)*, dicenti, ARCH. PICCOLHOMINEUM primum ad nervos eum reduxiſſe; qui, praeterquam quod quinquaginta annis ſerius ſcripſerit, non ſatis in incidendo exercitatus fuiſſe videtur: quanquam ipſe PICCOLHOMINI *r)* gloriam hanc ſibi vindicare videtur, dicens, - *ſe mirari, neminem illos nervorum nomine dignaſſe, quum tamen odorandi organa nuncupent.* DRYANDER, ſuis in edendo Mundino meritis non deſtitutus, tabula ligno inciſa repraeſentans illos, *opticos* appellat, quem celeberr. METZGERUM intellexiſſe credo, cum dicit, Mundinum in delineando non infelicem fuiſſe. Figuras autem ejus non ad Berengarianas effictas eſſe, judicat HALLER *s)*. SAVANAROLAM *cornua ſimilia capitibus mammillarum* dicere, SLEVOGT *t)* auctor eſt. Quis vero primus *proceſſuum papillarium* aut *mammillarium* nomen uſurpaverit, non conſtat. Vocabulum hoc a brutis deſumtum et ad hominem translatum ſua jam aetate uſitatiſſimum fuiſſe indicat VESALIUS, de confuſione proceſſuum mammillarium querens, qui a nonnullis primum par di-

*o)* Liber introductorius 1536. cap. 39.
*p)* Anthropographia Lib. IV. pag. 393.
*q)* Diſſ. cit. p. 21.
*r)* Praelect. L. V. Sect. V.
*s)* Bibl. anatom. T. I. p. 175.
*t)* §. IV.

dicantur. Ipſe autem, quamvis *ductu*, *colore*, *formaque nervis correſpondere* recte ſatis intelligat, communi tamen errore abreptus, illos *extra calvariam procidere* negans veros nervos non pronuntiat, quanquam illos *inſtrumenta odoratus*, *odoratus organa*, *olfactus organon*, *olfactus organo ſubſervientes proceſſus nervis ſimiles*, *organa olfactilia* vocat; quae nomina etiam, qui illum ſecuti ſunt, retinuerunt. An EUSTACHIUS, qui Tab. XVIII. optime illos delineavit, pro nervo habuerit, ob ipſius nimium in GALENUM amorem dubitat celeb. METZGER. VAROLIO *ductus inſtrumenti olfactus u)* et *ductus nervei v)* dicuntur. VOLCHERO COITER *x)* Fallopii aſſeclae *productiones procerae*, GUINTERO ANDERNACO *y)* *proceſſus cerebri ad nares* audiunt. Penes ARCHANGELUM PICCOLHOMINI, qui, ut ſupra dictum eſt, nervos veros dici mereri, optime ſtatuit, *ſecundum* nervus noſter occupat locum; nam primus ipſi opticus eſt. Alii, in quibus ANDR. LAURENTIUS, illos *tubercula mammillarum papillis ſimillima*, vel *proceſſus mammarum ritu protuberantes* vocarunt; illosque e nervorum numero proſcripſerunt, quod dura et pia matre involvi ipſis non videbantur. VIDUM VIDIUM *z)* vero Fallopianis inventis uſum, nec praeter GALENUM in nervorum origine deſcribenda quemquam allegantem, non miror dice-

*u)* de nervis opticis.
*v)* Anatomes L. I. C. V.
*x)* Externarum et internarum principalium H. C. partium tabulae atque anatomicae exercitationes obſervationesque variae. Norib. 1573. fol. pag. 122.
*y)* Inſtitutionum anatomicarum ſecundum GALENI ſententiam ad candidatos medicinae Libri IV. per I. GU. ANDERNACUM, ab ANDR. WESALIO Bruxellenſi auctiores et emendatiores redditi 1585. 8.
*z)* Libr. 3. cap. 2.

dicere, potius proceſſus cerebri quam nervos eſſe. JULIUS CASSERIUS *a*) *proceſſus medullares* alias mammillares dici, quod mammarum papillis ſimiles ſint, tradidit. ADRIANUS SPIGELIUS *b*) *octavum par cerebri* vocat, illos ſimul ridens, qui illud non pro veris nervis habent *c*); hinc miror, alio ejusdem libri loco longe aliud quid, partem nimirum lobi cerebri anterioris, nomine proceſſus papillaris ab ipſo indigitari. Sic et CASP. HOFFMANN *d*) juſte queritur, confundi nervos odoratorios cum proceſſibus mammillaribus, qui praeter conſuetudinem ſat fuſe, et uti inciſorem decet, de hoc nervo egit, et, ſi fides ei adhibenda, ipſe cadavera ſecuit. Hinc prorſus ſe ARCHANG. PICCOLHOMINI aſſentiri, et pro nervis veris habere fatetur. CASPARO BAUHINO *e*) nervos odoratorios Veſalii *proceſſuum mammillarium principia* vocare placuit. I. B. CORTESIUS *f*) *portiones mammillares* eos appellavit: ROLFINCIUS *g*) omnes in eo conſentire dicit, quod in duas partes diſtinguendi ſint proceſſus mammillares, *papillares* et *nervos odoratorios*; ſimul vero canalem albicantem medulloſum nomine nervi odoratorii inſigniendum non eſſe judicat *h*). Nonnulli, in quibus VESLING, non omni nervo, ſed parti eius ſolummodo anteriori proceſſus papillaris nomen tribuerunt. VAN HORNE *) erudite

*a*) Pentaeſtheſeion p. 125.
*b*) in explicat. Tab. IX. lib. X.
*c*) de C. H. fabrica L. 7. cap. 2.
*d*) Comm. in GALEN. Frf. ad M. 1625. fol. p. 175.
*e*) Theatr. anat. Frft. 1620. L. 3. c. 19. p. 335.
*f*) Dec. I. de adminiſtr. 3. figur.
*g*) Diſſ. anatom. L. 4. c. 26. 27. 30.
*h*) l. c. p. 710.
* Disquiſitio anatomica tertia de ductibus ſalivalibus 1657. recuſ. in HALLER. Diſpp. ſel. anat. Vol. I. p. 22. ſq.

erudite et ex autopsia distinctionem inter processus mammillares et nervos odoratorios exposuit. *Quidam*, inquit, *processus papillares vocarunt obtusam partem horum processuum - - pro nervis vero habuerunt albicantem et latiusculae formae substantiam nervis non absimilem, quae papillas dictas et cerebrum in homine satis manifeste intercedit.* Sed WILLISIUM, ob merita sua in cerebri historiam celebrem, qui illos *primum par* iterum (quod ante eum NIC. MASSA fecerat) vocavit, quamvis illius descriptio ex hominum et brutorum fabrica conflata sit, merito sequuti sunt omnes, qui eum tempore exceperunt. Cuius etiam auctoritatem insigniter confirmavit VIEUSSENIUS, qui eodem ordine usus est, et MOLINETTI *i*), qui *combinationem primam* vocavit. Aliis vero adhuc *nervi mammillares* dicebantur. Sed DIEMERBROECK *k*) denuo illos e numero nervorum eximendos esse, hisce fere argumentis, quae Galenicis illis supra allegatis de suo addidit, strenue defendit, *quod* scilicet *non e medulla oblongata oriantur, nec ullam cum nervis similitudinem habeant, nec alio nisi evacuatorio munere fungantur.* Olfactus vero sensui praeficit par, quod ipsi tertium est, et quod e nervo nostro quarto et secundo ramo quinti conflavit. Apud RAVIUM *l*) illum nomine *corporum striatorum propaginis* venire reperi. Veterum denique sententiam erudite satis defendere studuit I. H. SLEVOGT *m*) hisce fere argumenti

*i*) Disp. anat. pathol. 1675. L. IV. C. 18. p. 188.

*k*) Lib. 3. cap. 8.

*l*) Nevrologia quae annexa est M. B. VALENTINI theatr. zootomico.

*m*) Disp. processus cerebri mammillares ex nervorum olfactoriorum numero exemti. Ienae 1715. recus. in HALLERI Dispp. anat. sel. Vol. 2. p. 849.

menti loco prolatis: I.) ratione originis et II.) ſubſtantiae a nervo quocunque differre; III.) auctoritatem veterum obſtare, quo minus id concedi poſſit; IV.) ſpecificam diſcrepantiam a reliquis nervis declarari mixto illo e cinerea et medullari ſubſtantia habitu; V.) uſu etiam differre. Sed totam eius diſſertationem, quam ob praeſtantiam recudi curavit HALLER *n*), ex diſſectione brutorum potius quam hominum natam eſſe, quilibet anatomiae brutorum gnarus facile intelliget. Nervos primi paris *olfactoriorum* ſaltim nomen non mereri, argumentis ſtabilire conatus eſt MERY *o*), eoque potiſſimum, quod, morbo illis deſtructis, illaeſa tamen olfactus functio fuerit. Huius ergo ſenſus organa ſolos ſurculos rami primi nervi quinti eſſe autumat. Omnium ad ſua usque tempora optime, ut videtur, WEITBRECHT *p*) de diſtinctione inter proceſſus mammillares et nervos olfactorios ſcripſit, tabulisque, quanquam minus ſplendidis, exacte tamen naturae exemplar referentibus, rem omnem luculenter et docte expoſuit. Praeclare etiam, pro more ſuo, HALLER eos in opere phyſiologico tractavit. Celeb. denique METZGER *q*) peculiari libro, quem poſt ſummi HALLERI laudes denuo extollere ſupervacaneum eſſet, ita de illis egit, ut pauca tantum addere mihi liceat, collectis ab eo ſimul utiliſſimo labore autorum in nervi primi hiſtoria maxime memorabilium excerptis integris.

§. 22.

*n*) In diſſ. anat. ſelect. Vol. 2. p. 849.

*o*) In Progrès de la medecine ad annum 1697.

*p*) de vera ſignificat. proceſſuum mamillarium cerebri. in Comment. acad. Petrop. T. XIV. ad ann. 1744. 1746. Tab. V. fig. 2. p. 276.

*q*) Diſſ. inauguralis ſiſtens nervorum primi paris hiſtoriam Argentin. 1766.

## §. 22.

Jam quae a variis varie prolata et exornata ſunt argumenta, quibus par noſtrum e numero nervorum proſcribere voluerunt, collecta recenſeamus. Dixerunt nimirum, I.) turpe eſſe auctoritatem MARINI, GALENI, aliorumque praeſtantiſſimorum virorum derelinquere. Sed perſuaſum habeo, eosdem viros, ſi hominum fabricam inveſtigaſſent, nunquam ea dicturos fuiſſe. Vera ſunt, quae GALENUS obſervavit, ſed in brutis, non in homine vera; neque ipſe eam fabricam in humanis cerebris inveniri, ullibi dixit. II.) Piae et durae membranae veſtimento deſtitui, quod ſecus ſe in aliis nervis habeat. Sed unde quaeſo vaſa, quibus elegantiſſime pingitur, niſi a membrana vaſculoſa ad illum delata? Et cur durae membranae veſtimento, cuius tamen in vaginam recipitur, nervus olfactorius prae ceteris indigeat? III.) Capitis oſſibus illum non egredi. Quod facile in homine non minus ac in brutis oculorum judicio refellitur; et ipſe eam nervorum in nares disperſionem in praeparatis quibusdam, quae mirandam oſſium turbinatorum canis, vitulique quibus nares apertae erant, fabricam demonſtrabant, in ſcholis Ill. WRISBERGII ſaepius contemplatus ſum. IV.) Ideo non eſſe inter nervos referendum quod cavus ſit. Sed quis recentiorum vel conſpicillo eam in homine cavitatem vidiſſe ſe affirmavit? quis porro noſtris temporibus, nervos cavos brutorum nervorum munere fungi, negare ſuſtineat? V.) Mollitiem, qua gaudet, minus convenire nervo. Num vero magis convenit canali excretorio? VI.) Evacuationis munere fungi, ideoque vix nervum eſſe poſſe. Quod vero adeo probabilitate deſtituitur, ut refutationem vix mereatur. VII.) Non ex medulla oblongata

(quo nomine nonnulli et ipſos proceſſus medullares cerebri (crura) comprehendebant) provenire. Quod quam verum ſit, tum v. HORNE, RIDLEY, WINSLOWII et HALLERI contradicentium aſſerta, tum tabula noſtra ſecunda demonſtrant. Praeterea, qui demonſtrabis, medullam ſpinalem ſolam nervos edere poſſe? Et, ſi hoc etiam concedatur, qui negare poteris e proceſſus illius medullaris cerebri, (cf. p. 43.), e quo reliqui omnes emergunt nervi, primordiis, nervum primum naſci? Qui porro poteris inficiari, nervum noſtrum cum auditorio, quem tamen nemo e numero nervorum relegandum eſſe ſuſpicatus eſt, in eo convenire, quod uterque in originibus pictus tantum quaſi appareat? Nec denique VIII.) MERY, hominis et in aliis nimis paradoxa amantis, obſervatio tanti eſſe videtur, ut eius auctoritate par primum e numero nervorum profligandum eſſe cenſeam. Hanc caeterum obſervationem ab aliis confirmatam fuiſſe, nondum legi.

## §. 23.

Equidem ALEX. ACHILLINUM nervum noſtrum interdum invenire non potuiſſe, non miror, cum parum adhuc iſtis temporibus adminiſtratio anatomica fuerit exculta; et forte ex putredine ortae nervi liquefactioni illius, qui revera adfuerat, defectum tribuendum eſſe cenſeo. Hinc optime ARCH. PICCOLHOMINI *r*) monuit, recentia ad nervum hunc demonſtrandum adhibenda eſſe cerebra; aliique, ut JUL. CASSERIUS, non niſi a perito inciſore par noſtrum ab ipſo cerebro diſtingui poſſe dixerunt. Sed quorſum haec? cum recentiori aetate, qui defectum eius annotaverit, invenerim neminem. Huius igitur nervi

*r*) L. V. Sect. 3. p. 252.

vi hiſtoria argumento eſſe poteſt, quanta anatomes ſtudium noſtris temporibus ceperit incrementa. Etenim in molliſſimo foetus $5\frac{1}{2}$ menſium cerebro quam maxime diſtinctum eum obſervavit Ill. Praeceptor *s*); et in foetu partu praematuro ſexto menſe edito fere ut in maturo perfectum ipſe vidi. Cum vero origines tantum, ut annotavit AIMÉ MATHEI, et ne hae quidem ſatis accurate, in omnibus fere figuris depictae ſint, ut et reliqua huius nervi in tabulis, quantum poſſem, exacte exprimerem, omnem operam dedi, ea, quae ab aliis omiſſa fuerunt, ſuppleturus. Sed jam ad origines ipſas. Quas ita deſcribere annitar, ut, quae, natura duce, ipſe obſervavi, fideliter tradam; eorum ſimul, quae de his alii ſtatuerunt, mentione facta.

## §. 24.

VAROLIUS certe nervi olfactorii radices juſto longiores fecit; neque hoc vitio ſolummodo figurae, quas memoriae et imaginationis ope a ſe concinnatas eſſe ipſe fatetur, ſed et deſcriptio eius laborat: in qua eo usque ſibi indulſit, ut, cum in oppoſitum errorem ipſe incideret, alios erroris accuſaret. Etenim: *dimidium*, inquit *t*), *tantummodo cognoverunt alii anatomici, ſiquidem praeter id, quod oſtendunt, tantumdem etiam progrediuntur, latentia inter anteriorem et mediam cerebri prominentiam - - progreſſus autem eſt ad poſteriora, ſed quanto magis progrediuntur, tanto magis invicem recedunt, quousque ad extrema latera in regione, quae eſt ſupra foramina auditus, finiant, indeque ſuum primum initium ſumant. Et ubi magis in poſteriora feruntur, eo magis attenuantur, donec*

*s*) Deſcript. anat. embryon. hum. p. 45.

*t*) in epiſt. de nervis opticis.

*donec in mucronem quendam acutiſſimum deſinant.* Hae ad foramina usque auditus detectae origines adeo HIER. MERCURIALI *u*) placuerunt, ut ſtatim et pathologicis phaenomenis confirmari poſſe hanc amici ſui obſervationem, cui plenis, (illius enim verbis utar) ut ajunt, buccis applaudebat, crederet, auditus et olfactus ſympathiam inde explicans. Recentiori autem aetate, opinio iſta, ob quam ſuo jam tempore in Varolium animadverterat I. B. CORTESIUS in fin. Libr. IV., neminem defenſorem nacta, evanuit.

Neque ARCH. PICCOLHOMINI *v*) amplius audiendus erit, qui ex ventriculo quarto usque illos repetiit. Vulgarem vero eorum errorem, qui, neglecta corporis humani inſpectione, a brutorum fabrica ſeducti, ventriculorum continuationem par noſtrum dixerunt, indicaſſe tantum ſufficiat. Alii, quod idem fere eſt, e corporibus ſtriatis usque illos in homine deduxerunt, eo forte ſeducti, quod cavitas eorum in animalibus ante corporis ſtriati anteriorem partem aperitur. Alii, ut VIEUSSENS et RIDLEY, poſtremas fibras a corpore calloſo centroque ovali natas ad nervum primum conferre aliquid cenſuerunt.

Nec hucusque mihi contigit, certe non in homine, ut Jo. RIOLANUS *x*) prodidit, *a propaginibus pedum poſteriorum fornicis usque ad baſin cerebri revolutis* derivare; quam RIOLANI obſerva-

*u*) in Reſponſ. ad epiſt. VAROLII de nervo opt. annexa edit. Frftenſi Variolanae epiſtol.

*v*) p. 292.

*x*) apud SLEVOGT diſſ. cit. §. IX.

ſervationem e brutorum capitum conſideratione natam, ad hominem translatam fuiſſe credo. Etenim in his omnino quaedam, quae in favorem huius ſententiae allegari quodammodo poſſent, et ipſe vidi: pedum ſcilicet hippocampi, ut brevibus rem, alio forte ſcripto enucleandam, expediam, finis in apicem cornu ſummitati ſimilem deſinens, in idem fere punctum coincidit cum alba nervi primi radice.

Alii, iique permulti, e medulla ſpinali, quo vocabulo omne id, quod a cruribus ſic dictis cerebri usque ad finem medullae ſpinalis pertinet, intelligebant, prodire negaverunt, adeo ut eam ob cauſam eum e numero nervorum relegarent.

## §. 25.

Conflatur utrinque hicce nervus, quantum mihi ſemper videre licuit, in poſtremo loborum cerebri anteriorum limite, duabus fibris *y)* medullaribus, (nam ſemel tantum ſimplicem in latere dextro obſervavi) et tertia propagine cinerea. Harum altera origo *medullaris*, *externa*, longiſſima, e foſſa Sylvii per plus quam ſex linearum ſpatium ſub pia matre, ut mihi viſa eſt, ar-

*y)* Unam tantum originem pinxit DUVERNEY in tab. baſeos encephali cit. et in explicatione eius tabulae origines ducere ſcribit una fibra medullari, progrediendo increſcente. Unam tantum, ſumma quamvis adhibita inveſtigatione, originem ſe obſervaſſe, RIDLEY cap. 16. p. 142. ſcribit. Nec non COWPER, qui RIDLEYUM adjuvit, in explic. tab. a Ridleyo mutuatae et appendicis inſtar BIDLOOI operi, a ſe, ſummo plagio, iterum edito, annexae, ſe unam tantum originem reperiiſſe dicit. Una haec propago ea eſt primi paris radix, quae externa appellatur, in qua deſcribenda caeterum naturae exemplar ſecutus eſt.

argenteo quaſi colore ludens, (ut celeb. METZGER eleganter exprimit) ab externis ad interiora procedens, paulo ſimul ad anteriora vergendo, ad gyrum tandem ultimum vel poſtremum lobi anterioris pervenit, ibique incurvatur, ita ut jam anterior fiat, radicibus cum trunco angulum formantibus; qua in regione ſub angulo acuto confluit cum altera *medullari*, quae, cum interius ſita ſit, *interna* dici poteſt; et eandem fere viam legens, brevitate tantum differre a priori ſolet. Ad has accedit *ſuperior* quaedam *cinerea* et maxima propago, quae ipſa ejus gyri, quem ſupra *) deſcripſi, et in quo binae illae, quas modo dixi, origines medullares conjunguntur, ſubſtantia cinerea continuata eſſe videtur: utraque vero propago medullaris, in initio ſubtiliſſima, ſenſim ſenſimque progrediendo lateſcit, novis forte fibrillulis nerveis adaucta. Hae radices magnitudine fere ſibi aequales inveniuntur, et licet altera, quam internam dixi, exteriori brevior ſit, vix tamen latitudine longiori internae cedit. Has praeterea origines ab ipſa gyri, in quo decurrunt, ſubſtantia ſeparare non potui: quocirca eleganter ſcripſiſſe HALLERUM z) arbitror, *pictum potius hactenus apparere nervum primum*; ideoque latitudinem quidem quandam his originibus medullaribus ineſſe, craſſitiem vero fere nullam deprehendes. Duabus his originibus medullaribus a parte poſtica arteriarum cerebri maximi ſane trunci annectuntur partim ipſis, quos edunt, furculis, partim telae celluloſae ope, qua praecipue maximus, qui nomine arteriae foſſae Sylvii venit, truncus eisdem alligatur.

*) pag. 40. conf. tab. ſecundam. z) l. c. T. IV. p. 186.

tur. Hinc inverſo cerebro tegi ab his arteriis videntur, quae, ut origines ipſae oculo appareant, removendae ſunt. Progreſſo paulum nervi trunco nervus opticus, ſub eo transgrediens laxis filis cohaeret. Omnium autem planiſſimus nervus noſter eſſet, et fere tenuiſſima lamina medullari conſtaret, ni ad has modo dictas binas medullares radices, quae dudum jam notiſſimae fuerant *a*), tertia cinerea radix, ſuperior et maxima ſane, accederet; quam exactius primo deſcripſit cel. METZGER *b*), qui *haec duo principia medullaria*, inquit, *arripiunt ſecum a duobus ſui lateribus loborum anteriorum cerebri ſubſtantiam corticalem*, (quam cineream cum GÜNZIO dicere amo) *in filamentorum quoque naturam degenerantem, quae in itinere cum medullaribus juxta ſe invicem incedunt, ita ut eorum ordines alternare diceres.*

Ex eadem propagine ſuperiori cinerea, ſive productione gyri, quem p. 40. deſcripſi, potiſſimum oritur nervi primi forma prisma-

*a*) Radicem longiorem, a VOLCHERO COITER deſcriptam ante eum EUSTACHIUS in tabula XVII. pinxerat. Nec eam non eleganter JUL. CASSERIUS in figuris Pentaeſtheſ. tab. VII. fig. I. gg. fig. II. H. H. repraeſentavit. Neque COLLINS (vel potius TYSONEM) in tab. 48. in homine duplices origines latuerunt, quas a ſe primum annotatas eſſe putat. Eiusdem ſententiae eſſe et I. C. A BRUNN de gland. pit. cap. IV. video: *ex diverſis*, enim inquit, *fibris nerveis conflati et protenſi, radices egerunt longiſſimas: ſcilicet, fibra medullaris quaedam pertenuis oriebatur ſub corpore ſtriato in commiſſura, quam pars anterior cerebri cum media formatur; alia paulo anterius* cet. Duplicem propaginem et WINSLOW T. IV. nro. 132. deſcribere video, iis, quae cl. SABATIER Tome II. p. 59. et Tome III. p. 418. tradit, conſentientem. HALLERUS etiam Icon. anat. faſc. VII. p. 71. nota dd. duas eius radices eſſe docuit; et in el. phyſ. Tom. IV. p. 205. *duplicem ſibi innotuiſſe originem* ſcripſit. Similem et GIRARDUM in explic. tab. 2. I. DOM. SANTORINI obſervaſſe ortum, HALLER in bibl. anat. T. II. p. 715. refert. Duobus gaudere principiis medullaribus, et METZGER l. c. p. 27. ſtatuit.

*b*) Diſſ. pag. 76. cit. §. 18. p. 28.

prismatica, quae praeſertim in principio ejus luculentiſſima exſtat. Eandem, in adultorum cerebris, ſub originem, vix filamentoſam ſed continuam maſſam eſſe reperi, et progrediendo cum fibris medullaribus, quibus quaſi fiſſis inſeritur, alternare; interdum etiam progrediendo anguſtatam, paulo ante eum locum, ubi nervus ipſe in bulbum mollem abit, evaneſcere vidi; quod in reflexo nervo primo ſiniſtro tabula prima not. 3. a me exhibitum eſt.

§. 26.

Sed aliter ſe res habebat in infantibus. In foetibus enim octo vel plurium menſium, uti et illis, qui vix aliquot annorum ſpatium exceſſerant, nervum noſtrum rariorem et pulpoſum quaſi, nec colore albo, uti in adultis, a quovis lobi anterioris gyro diſtingui potuiſſe, obſervavi. Praeterea tenerrimus, et habitu adeo laxo eſſe videbatur, ut per illum arteriolae, vel ſanguine vel cera repletae, pellucerent; nec in illo ſtriae medullares cum cinereis alternantes ſatis diſtinctae conſpiciebantur: quanquam interdum in ipſis primis principiis totum fibris illum conſtrui animadverterem, quas tamen vix ad albedinem, qua reliqua in eodem infante medulla gaudebat, acceſſiſſe dixerim. Laxior haec in infantulis fabrica forte cauſſae eſt, cur in illis multo major et rotundior, nec aeque ac in adultis prismaticus, ſed fere conicus, apice ad poſteriora, baſi ad anteriora verſis, appareat; adeo ut, quamvis cerebrum adulti cerebro ſit longe minus, nervus tamen noſter adulti fere magnitudinem, quoad volumen, aequet: quod etiam cernere adhuc licet in cerebro ſpeciminis gratia a me aſſervato. Longitudine vero ſuperare adulti hominis nervum non vidi, ſed, ut totum cerebrum,

multo

multo breviorem. Caeterum pluribus vaſculis dotatum eſſe etiam organon olfactorium infantile, quam in adultis reperitur, non eſt quod mireris. Quae omnia declarant, egregiam eſſe, quam cel. Praeceptor WRISBERGIUS, mecum aliquando hac de re differens, prodidit conjecturam, *hocce nervorum par ſibi videri in infantibus reliquis nervis adhuc imperfectius, ab arteriolis autem, quas ipſi arteria carotis largitur, ſenſim quaſi eo modo perfici, ut hae arteriolae ipſius ſubſtantiam ingredi videantur.*

§. 27.

Triplici medullari origine componi, annotarunt v. HORNE *c*), qui, *ſi nobis*, inquit, *αὐτόπταις credis, oriuntur tribus filamentis ſupra os petroſum, e duabus radicibus anterioribus ſpinalis medullae:* et VIEUSSENS *d*), qui *pluribus fibrillis medullaribus conſtare*, tradit, *quarum aliae e poſticis, aliae ex anticis baſeos cerebri lobis, et aliae e tractibus albis, e media ovalis centri regione eductis, emergunt.* Eadem a ſe viſa ſed non conſtanter deprehenſa tradit AIMÉ MATHEI *e*), et primum a VIEUSSENIO triplicem originem indicatam eſſe contendit; quam tamen obſervationem VAN HORNIO potius tribuendam eſſe, ea quae modo allegavimus commonſtrant. *Triplici quaſi principio oriri*, et SANTORINO *f*) viſum eſt, *quorum longior medullaris tractus a finibus poſterioris cerebri lobi emergit, reliqui duo quodam quaſi diremptu prope originem bifidi, alter ab exteriore, alter ab interiore medullaris*

*c*) Disquiſ. a me pag. 74. cit. p. 24.
*d*) p. 163.
*e*) Tentamen phyſiologico-anatomicum de nervis in genere, accedente primi, ſecundi, tertii et quarti nervorum paris deſcriptione, cum nonnullis in cl. MEKELII differt. de quinto pare annotationibus, L. Bat. 1758. p. 21.
*f*) Obſſ. anat. p. 62.

*ris cerebri ſubſtantiae latere proficiſcuntur.* Has ultimas, unam forte, pro duplici habuiſſe ſuſpicatur HALLER in elem. phyſ. T. 4. p. 105. Fibris medullaribus numero incertis oriri AIMÈ MATHEI g) autor eſt, *alias* nimirum *e latere externo partis inferioris corporis ſtriati, inter lobos cerebri anteriores et poſteriores, — — alias interiores breviores e fine loborum anteriorum prope pedunculi principium; alias e lobis poſterioribus emergere, plerumque e regione proceſſuum clinoideorum oſſis multiformis, vel ante eos, rarius pone commiſſuram partis poſticae baſeos ejusdem oſſis cum additamento oſſeo.*

Equidem vero ſaepius tres me videre fibras medullares non memini, (et vix plus una vice etiam vidit METZGER) ſed ſemel tantum obſervare, fibram longiorem ſive externam in duas partes fiſſam, mox iterum in unam conjungi, ita ut inſula quaſi in ipſa ea fibra cinereo colore diſtincta naſceretur.

Hoc modo radicibus duabus medullaribus, accedente tertia cinerea propagine, enatus truncus, quem craſſitiei ratione habita, vix tamen ob eius prismaticum et laxum habitum definiendae, inter lingualem medium et communicantem faciei collocandum eſſe putem, et qui pia matre veſtiri, et, cum omnium maxime anterior ſit, primi paris nomen omnino mereri videtur, ſulcum ſibi dicatum, quem fuſius pag. 38. deſcripſi, offendit, in quo g*), in primordiis praecipue, exacte eum replendo procedit, ita ut diſſectus triangularem eius formam imitetur; prismaticum enim habitum, quem tabula ſecunda exhibet, quodammodo paulum progrediens prae ſe fert, adeo ut latus inferius planum ſit, reliqua duo intus incurventur; tum

g) l. c. p. 21.

g*) Foſſula enim, quae eo ſulco oritur, neque vaſis immiſſis repleta, ſed ſupertenſa arachnoidea, cavum nervo primo recipiendo parat, ut tanquam in ſpatio decurrat, in quo et viam ſibi inveniat commodam, et cortex ei non ſit impedimento.

tum ſenſim, arachnoidea inferius tectus, lateſcendo, jam quodammodo firmior et plenior redditus, et a prismatica forma magis magisque recedens ✝) oſtendit ſtriarum cinerearum et medullarium ✝✝) alternantium ſpeciem illam g✝✝), quam ROLFINCIUM *h*) et LOWERUM *i*) in homine obſervaſſe, vix poſſum mihi perſuadere; quin potius eos credam brutorum fabricam deſcripſiſſe; quam ſuſpicionem, praeterquam quod uterque fateatur, ſe bobus vel vitulis uſum fuiſſe, et eorum deſcriptio vitulinis exactius quam humanis cerebris conveniens probat. Sed WEITBRECHTIUM *k*) luculenter de illa egiſſe, et humanam tradidiſſe fabricam, nemo in his rebus ſatis verſatus dubitaturus eſt; nervum enim hunc *non adeo perfecte medullarem eſſe, quin unus et alter tractus cinereus in media longitudine transpareat*, ipſius verba ſunt. Sic et HALLERUM *l*) dicentem, *plerumque rubellum corticisque ſimilem* ſe vidiſſe, hanc e cinerea et medullari mixtam ſubſtantiam indicare voluiſſe, certiſſimum videtur. Plerumque tantum ſtrias colore vario alternantes et Ill. WRISBERG obſervavit, et ipſe vidi, quae, ni fallor, in ſenum inprimis cadaveribus minus luculentae apparebant: conſtantem tamen hanc mixtionem obſervaſſe illuſtr. LOBSTEIN, quotiescunque in hanc rem inquireret, narrat cel. METZGER *m*), qui hunc nervi noſtri habitum fuſius deſcripſit. Tum progrediens nervus uterque, in-

✝) hinc variis locis diſſectus varium repraeſentat triangulum, ut tab. II. demonſtrat.

✝✝) Fibras medullares non adeo profunde penetrare, eadem diſſectio demonſtrat.

g✝✝) Plerumque tres vel quatuor ſtriae cinereae quatuor vel quinque medullaribus interponebantur.

*h*) Diſſ. anat. Norib. 1656. L. IV. cap. 26. usque ad 30.

i) de corde Cap. VI. de catarrhis p. 210. edit. L. B. 1708.

*k*) l. c. p. 282.

*l*) Elem. phyſ. T. IV. p. 206.

*m*) Diſſ. cit. p. 2. et p. 28. ſqq.

interdum ſinuoſis flexibus, mutuo ſibi appropinquando convergit, ſulci, quo decurrit, ductum ſequens, a quo tamen facile, ſolutis telae cellulosae filis, quibus eidem annectitur, ſeparari ac reflecti poteſt: hac in regione interdum paullo coarctari, interdum dilatari ſolet; plerumque vero eandem ſervans latitudinem, lineae geometricae fere aequalem, totus jam planus, prismatica forma exuta, ſubito in corpus cinereum, (quod *bulbum cinereum* vocare liceat) molle, et fungoſum vel ſpongioſum quaſi diſſolvitur. *Non ita paullatim et ſenſim, uti* WILLIS., BLANCARD., WINSLOW *dicunt, et* VESLING *atque ex eo* BARTHOLINUS, *item* WILLIS. *et* VIEUSSENS *figuris ſuis exprimunt, in majorem molem et craſſitudinem excreſcere, ſed ubi primum ex ſuis fibris medullaribus coaluerunt, toto itinere eandem ferme latitudinem ſervare, tum vero mox in extremitatem illam turgidulam et bulboſam intumeſcere,* tradit WEITBRECHTIUS, eam tamen *papillarem* vocari poſſe non repugnans.

Ne dexter bulbus cum ſiniſtro confundatur, natura interpoſuit laminam oſſeam (*criſtam galli*) eique annexum proceſſum durae matris falciformem; tum ulterius delabendo, foveolamque cribroſam ad utrumque criſtae galli latus effoſſam implens, vaginis durae membranae immiſſus, nares ipſas intrat, munere ſuo jamjam defuncturus.

Hunc *bulbum cinereum*, quem JAC. BERENGARIUS, nervum noſtrum clavae comparans, et NIC. MASSA, qui illum verſus duas eminentias parvas ſimiles papillis mammillarum transire dicit, forte innuerunt, an iidem in homine obſervarint, vix dijudicare auſim. Primum a R. COLUMBO in homine illum

lum annotatum esse, putat WEITBRECHT *n*). *Vaccinis papillis* JUL. CASSERIUS *o*) et *vaccarum mammis* similem I. ADR. SPIGELIUS *p*) dixerunt; quorum ille in omnibus etiam figuris illum non male expressit. ROLFINK *q*) vix, quae homini propria sunt a brutorum fabrica satis separavit. WHARTONUM hos processus glandulis annumerasse excretricibus, et hanc eius sententiam amplecti sese, fatetur VAN HORNE; *fungosa enim*, inquit, *eorum substantia hoc indicat; accipiunt autem, me judice, humorem suum a nervis odoratoriis, qui in ipsos terminantur. In recentibus cadaveribus saepius se demonstrasse processus papillares, sicque nominatos esse a figura, quam in extremitate globosam instar papillae habeant*, narrat DIEMERBROECK *r*). BIDLOO in expl. tab. nonae monet, in tabula planum apparere, in vivis rotundum esse. Neque SANTORINI *s*) oculos effugere potuit, qui nervos olfactorios in quandam cinereae substantiae similem protuberantiam abire, dixit, quae non nisi medullaris sed rarior revera, atque laxior papillarum more distributa sit. WEITBRECHTIUS, sedulus incisor, praeter ea, quae supra allegavi, *hocce tuberculum* (sic enim vocat bulbum nostrum) *magis corticale esse*, inquit, *fere glandulae pinealis in modum, eamque ovalem tumidam extremitatem nonnisi in cadaveribus recentissimis detegi, singulari pia membrana obduci, et accedente levissima putredine diffluere, et in elevando cerebro abrumpi.* WINSLOW *t*) eum papillis prolon-

*n*) p. 280.
*o*) Pentaesthes. p. 302.
*p*) L. 10. c. 11.
*q*) p. 703. et 706.
*r*) L. 3. c. 8.
*s*) pag. 62.
*t*) Tom. IV. n. 133.

longatis assimilatum, minus album quam reliquum nervum esse testatur. Consentanea his sententia Aimè Mathei, qui, in album, molle, longiusculum corpus, mammillae speciem ferens, cujuscunque lateris fibras coalescere, scriptum reliquit *u*). Nec ab Hallero et Metzgero omissum eundem reperies. Sed haec *de bulbo cinereo* sufficiant.

§. 28.

An totus nervus noster pervius sit, adeo ut cavitates cerebri, quos ventriculos ajunt, in illum prolongentur, multum disceptatum est; sed omissis plerisque, qui brutorum fabricam pro humana venditarunt, vel qui alios expilaverunt, adeo ut vix quidquam propriis hac in re oculis compertum haberent, eorum tantummodo succinctam historiam exhibuisse sufficiat, qui in hominum cerebris cavum esse strenue defenderunt; adjunctis eorum nominibus, qui sua auctoritate merito istam opinionem profligaverunt.

Galenum cavitatis nervi olfactorii testem non nominarem, nisi multis, plurimum eius auctoritati ideo tribuentibus, persuasum fuisset, humanis eum cerebris usum, cui tamen omnibus notum est simiarum vel boum dissectionem verba dedisse. Dormitavit hic, judice v. Horne *x*), Fallopius *y*), *processus mammillares*, dicens, *negligenter omnes anatomici observarunt et explicarunt*; *et in recentissimo tantum cerebro*, pergit, *patere posse*

*u*) §. 5.

*x*) l. c. p. 25.

*y*) Obss. anatom. in edit. opp. Vesalii a Boerh. et Albino cur. T. 2. p. 752.

*poſſe in homine; per eosdem aerem et vapores ad cerebri ventriculos deferri opinor.* Sic et I. B. CORTESIUM, non ignobilem in cerebri humani hiſtoria ſcriptorem miror ab his partibus ſtetiſſe, nec fidem adhibuiſſe VAROLIO quem alias aperte ſatis ſecutus eſt. RIOLANUM z) et hic thraſonem invenies, dicentem: *foramen iſtud inſtar fiſſurae apparere in cerebro ſenis hominis, et diducta digitis portione anteriore ventriculorum conſpici, at propter cerebri molitiem forſan in quibusdam adultis non apparere, multo minus in pueris; ſed in cerebro duro*, inquit, *et ſicco ſenilis corporis ſaepius obſervavi.* CASPAR. HOFFMANNUM *a*) ab hippocampis Arantii patere poſſe foramen in proceſſus mammillares, credidiſſe, hic obiter tango. WILLISIUM ſaepius bruta quam homines ſecantem canali excavatos eſſe nervos noſtros exiſtimaſſe, quis miretur? MOLINETTI aliorumque verba, *manifeſte cavos eſſe* dicentium, non curo. Nec me movent quae DIEMERBROECK *b*), a VIEUSSENIO *b**) jam refutatus, in medium protulit, *in homine* nimirum *admodum anguſtum eſſe et ſolummodo ſtylum ferreum tenuiorem admittere; procul dubio in vivis latiorem eſſe; ſe ſaepius illorum cavitatem ſtudioſis demonſtraſſe ſed non niſi in recentibus cadaveribus.* Temere ſimul accuſat anatomicos illo multo praeſtantiores VESALIUM et ROLFINCIUM, qui ſemper in cadaveribus humanis inveteratis quaeſiviſſent. Cui vero riſum non moveant, quae addit, *plerumque pituitoſo, limpido, mucoſoque ſucco repletos inveniri?* Neque non a vero aberravit VERHEYEN, qui

ſine

z) Anthropograph. l. 4. p. 392.
a) Comm. in Galen. p. 175.
b) L. 3. c. 8.
b*) p. 164.

ſine ulla dubitatione cavitatem poſuit, quam ob rem etiam in eum animadvertit MORGAGNI *c*). Neque SLEVOGTIUM in homine viſa tradidiſſe cenſeo; licet *repetita vice in recentibus cadaveribus flatus, humores tinctos et mercurium in leviter vulneratos ventriculos projectos, ad cribrum usque lapſos, trans disruptas tandem ἀποφύσεις ſuper duram matrem diſperſos fuiſſe*, ſcripſerit. Experimenta enim a me in homine inſtituta longe alium eventum habuerunt, cum tamen in brutis repetita, eam, quam SLEVOGT tradidit, fabricam oſtenderent. Nec CASSEBOHMIUM, niſi aliorum fuiſſet erroribus abreptus, cavum exiſtimaturum fuiſſe, perſuaderi poſſum. BACCHETONI *d*) vero et LUDOV. L'ESTOCQ *e*) commenta refutare hic omnino ridiculum foret.

## §. 29.

Diutius autem latuit veritati conformis ſententia. Nam ante VESALIUM, qui illos ſolidos eſſe in homine certa fide ſcripſerit, hucdum inveni neminem. Hunc autem in hominum cerebris nervum noſtrum inveſtigaſſe, hominumque organa olfactoria egregie profecto pinxiſſe, omnes ejus elegantiſſimae baſeos encephali figurae luculenter demonſtrant. Nec fidem ei, quamvis contra praeteritorum temporum opinionem et inveteratam antiquitatis auctoritatem, humano nervo canalem denegan-ti *f*), adhibebit nemo a partium ſtudio alienior. Hujus viri ſententiam VAROLIUS *g*) (quantum nomen!) confirmavit, aperte ſcri-

*c*) Adverſ. anat. ſext. animadv. 14.
*d*) l. c. p 246.
*e*) Medicin. Abhandl. 1759. Halle 8.
*f*) de rad. chinae p. 660. edit. Albino-Boerhaav.
g) de nerv. opt. edit. Frft. p. 137. 138.

ſcribens, *nullum in his aditum ad cavernas cerebri inveniri, ſe certo ſcire, et opinionem eorum, qui credant, aerem per nares attractum ingredi ventriculorum cavitatem, probabilem potius eſſe quam anatomicam.* Tantorum virorum auctoritatem ſecuti JUL. CASSERIUS *h*), HENN. ARNISAEUS et SCHNEIDER, anatomes humanae laude clari, fiſtuloſum eſſe negaverunt. Et I. VAN HORNE *i*) ſtylo tenuiſſimo et flatui impervium eſſe invenit, quod etiam VIEUSSENS *k*) et RUYSCH *l*), dexterrimi inciſores, ſuis obſervationibus ſtabilierunt. Nec a vero abludunt R. LOWER *m*), et qui illo ſaepius auctore uſus eſt I. C. A BRUNN *n*); quorum alter, nullam eſſe cavitatem, neque in juvene, ventriculis et tota cerebri baſi aqua repletis, intumuiſſe, alter, flatus immiſſos in eum non penetraſſe, ſcriptum reliquit. Summo itaque jure MONRO *o*), HALLER *p*), et cel. METZGER *q*) canalem nervi noſtri ad antiquitatis commenta relegandum eſſe cenſuerunt.

Quibus vaſis autem nervi olfactorii origines nutriantur, RUYSCHII, HALLERI et celeb. MAYERI icones declarant; vaſa vero lymphatica concomitantia nervos olfactorios RICHARDUM CARR tradidiſſe, refert HALLER *r*).

## §. 30.

Jam quae naturam hujus nervi, quem odoratus ſenſui in homine praefici, affirmare non dubito, *ſingularia* prorſus ingrediun-

h) Pentaeſtheſ. L. 3. C. 19.
i) l. c. p. 24.
k) l. c. p. 159.
l) Epiſt. problem. T. II. Reſp. ad Epiſt. XII. p. 13.
m) de corde p. 253. et 255.
n) de gland. pit. c. IV.
o) p 89. ed. Coopm.
p) Elem. phyſ. T. IV. p. 204. ſq.
q) p. 30.
r) Bibl. anat. T. I. p. 748.

diuntur, ut uno obtutu quisque perſpiciat, breviter e ſuperioribus repetam. I. Striarum diverſarum alternantium habitum vix in alio quovis corporis humani nervo reperies. II. Nervos omnes mollitie ſuperat; nec III. quemcunque alium in bulbum cinereum quaſi diſſolvi invenies: praeterea IV. uterque prismaticam induens formam, V. inter ipſos cerebri gyros totum quaſi iter abſolvit, adeo ut VI. progrediendo alter alteri in ipſo cranio appropinquet, cum reliquorum parium nervi procedendo divergant.

---

LIBRI

# LIBRI TERTII

## SECTIO II.

### DE

### NERVO OPTICO SIVE PARI SECUNDO *a*).

### §. 31.

Majores, ut in plerisque aliis partibus, ſic in huius nervi hiſtoria multo fuiſſe, quam aliqui credere videntur, diligentiores, MORGAGNI *b*) ſententia eſt. Hinc non miraberis opticorum nervorum (ὀπτικῶν νεύρων) nomen jam ante GALENI tempora, hoc ipſo auctore, in uſu fuiſſe *c*); et, quod idem refert, primum encephali par (πρώτην ἀπόφυσιν vel συζυγίαν) a multis, ab HEROPHILO *d*) autem πόρους ὀπτικὲς, cum ἀισθητὸς τις πόρος in illis reperiri exiſtimaretur, dictos fuiſſe. Eandem ob cauſam *meatus* viſorios et *venas* vocari, ALEX. BENEDICTUS perhibet; CARPO nervus *viſivus*, aliis *viſorius* dictus, et usque ad WILLISII tempora, communi conſenſu anatomicorum, MARINI et GALENI auctoritati cedentium, primum inter nervos encephali obtinuit locum, ac *prima* conjugatio dicebatur. WILLISIUM autem, in juſtum locum, id eſt *ſecundum*, par noſtrum reſtituentem, merito ſecuti ſunt omnes, qui illum tempore exceperunt.

### §. 32.

Altiſſimas autem origines repetit ab ipſis illis proceſſus cerebri

*a*) Optici nomen apud DRYANDRUM, et par ſecundum ARCH. PICCOLHOMINI nervum olfactorium ſignificare, in nervi primi hiſtoria annotavi.

*b*) Epiſt. anat. XVI. art. 12. edit. Patav. 1764. fol.

*c*) de nervor. diſſect. c. 2. edit. Chart. T. IV. p. 241.

*d*) de uſu part. L. X, c. VII. T. IV. edit. Chart. p. 546.

rebri colliculis, qui *Thalami* jam GALENO *e*) dicti, et quos nervi noſtri cauſa factos eſſe annotavit, quique aliis, auctore LANCISIO *f*), viſi ſunt non ſolis oculorum uſibus inſervire, ſed plerorumque omnium, qui a cerebro proficiſcuntur, nervorum eſſe principia. Immerito ergo idem LANCISIUS *g*) EUSTACHIO tribuit oſtenſam ab illo nervi optici originem nulli anatomicorum ante ſuam aetatem cognitam. Cuius ſententiae teſtem et HALLERUM *h*) invenies, GALENO originem nervi optici e thalamis non ignotam fuiſſe judicanten; quanquam lubenter confiteor, ſi figuras EUSTACHII videre potuiſſent, qui eosdem poſtea nervos ſunt perſequuti, VAROLIUS et CORTESIUS, nihil ſibi in ea re ſumendum eſſe exiſtimaſſent *i*). Immerito etiam ſibi hoc inventum vindicare ſtuduit VAROLIUS, *totam reliquam originem*, dicens, *quae a lobulis cerebri poſterioribus tegitur, caeteris ante ſe anatomicis incognitam fuiſſe k*); quanquam ipſi contigiſſe videtur, ut primam huius originis qualemcunque imaginem proderet.

## §. 33.

Sibi in huius nervi origines inquirenti, ob rerum ſive difficultatem ſive etiam varietatem, aliter in aliis apparuiſſe, ipſum MORGAGNIUM *l*) confitentem invenio.

Ex ipſis eiusdem proceſſus cerebri (pag. 43. deſcripti) prominen-

*e*) de uſu part. L. XVI. c. 3. edit. Chart. T. IV. p. 676.

*f*) de ſede cog. anim. edit. Opp. Genevenſ. 1718. p. 313.

*g*) in explic. tabb. EUSTACH. tab. XVIII. fig. VI.

*h*) Elem. phyſ. T. 4. p. 207.

*i*) MORGAGNI epiſt. anatom. XVI. art. 12.

*k*) l. pag. 28. cit. in expl. fig. I.

*l*) l. c.

minentiarum quadrigeminarum tuberculis anterioribus (natibus) radices aliquot nervo noſtro porrigi RIDLEY *m*), MORGAGNI *n*), (*inſlita*, dicens, *medullaris nervi optici nonnullam ſui partem in proximam natem certiſſime demittebat*), WINSLOW *o*), ZINN *p*) obſervarunt. Conjicere quidem ſed non decernere ſe valuiſſe, an nates aliquid ad ejus originem conferant, SANTORINI *q*) ingenue fatetur; nec etiam illas obſervavit HALLER *r*).

E poſterioribus earundem prominentiarum tuberculis (teſtibus) et a cerebello radices egiſſe, a Jo. BESSE *s*) annotatum lego.

E centro gemino ſemilunari, (aliis *ſemicirculari* VIEUSSENII, *limbo poſteriore corporum ſtriatorum*, *proceſſibus medullaribus* WILLISII, *fraenulo novo* TARINI, *taenia ſemicirculari* HALLERI) tres vel quatuor radices proveniſſe A. MATHEI *t*) bis vidit. Eo loco, quo linea alba eidem centro gemino inſeritur, prodiiſſe, idem Vir cl. auctor eſt.

E pedibus usque hippocampi originem ducere nervum noſtrum, perſuaſit ſibi potius, quam oculo et cultro aſſequutus eſt ARANTIUS, et ex eo RIOLANUS *u*), *pedes hippocampi portiones eſſe nervorum opticorum* contendens. Sed dudum hunc refutavit

*m*) pag. 196.
*n*) l. c.
*o*) Tome IV. nro. 136.
*p*) Deſcript. oculi p. 190.
*q*) Obſſ. anat. p. 63.
*r*) Elem. phyſ. T. IV. p. 207.
*s*) Recherches analytiques de la ſtructure du C. H. Toulouſ. 1701.
*t*) Diſſ. ſaep. cit. part. alt. §. 10.
*u*) Anthropogr. Par. 1626. L. IV. c. II. p. 396.

tavit MARCHETTIS *v*), et, ut MORGAGNI *x*) verbis utar, jam adverſus futurum RIOLANI errorem EUSTACHIUS in tabula XVII. oſtenderat, aliud eſſe crura fornicis, (pedes hippocampi) aliud continuationes nervorum opticorum. Pariter et DIEMERBROECKIUM *y*), ab inciſionibus, ſe ipſo fatente *), remotiorem, e fornice usque illos derivantem, ſuſpicor RIOLANUM vel potius ARANTIUM ſequi; nec denique non RIDLEYO, fornicem aliquid ad nervum opticum conſtruendum facere, viſum eſt.

## §. 34.

Sed ad veriores ejus origines altiſſimas redeamus; quas usque in cavernas cerebri perſequi facile licebit, adeo ut quidam *z*) dixerint, unicum forte par eſſe, cujus origines *ventriculorum undis alluantur* (quanquam hoc non minus de nervo auditorio valeat). Ubi enim deorſum curvantur thalami, ex ipſa ſubſtantia poſteriori, nec non inferiori emittere videntur faſciculos medullares, qui deſcendendo ad interiora circum crura cerebri flectuntur. Hae fibrillae praeterea vix ullibi ex ipſo thalamo neque in poſtica neque in ſuprema parte ſubito emergunt, ſed ſenſim quaſi cum illo confluendo, oculis ſeſe ſubducunt. Nec a thalamorum medullari fibroſaque membrana, ut VIEUSSENIO placuit, ſed potius ab eorundem penetralibus derivandos eſſe,

*v*) Anatom. ed. 3. L. Bat. 1688. p. 195.

*x*) l. c.

*y*) Anatome C. H. edit. nova. Lugdun. 1679. 4. L. 3. c. 8. p. 375.

*) ibid. in praefatione.

*z*) I. FR. HENCKEL epiſt. gratulat. ad I. H. KESSELRING, de nonnullis ſingularibus circa nervos opticos, Hal. 1738. 4. recuſ. reperies in Commerc. litt. Norico 1739. p. 71. ſeqq.

esse, etiam SANTORINI *) arbitratus est. Interdum tamen illam institam ne ad posticam quidem thalamorum partem persequi potuit MORGAGNI *a*). Nam priusquam per hanc se inflecteret, aut repente evanescebat, aut parvulis interjectis protuberantiis plane interrumpebatur. Quae ipse etiam confirmata vidi.

## §. 35.

Hae fibrae adhuc sub pia matre progredientes, (hanc enim membranam a propaginibus istis, illaesis tamen, deglubere potui) oblique ita ad anteriora descendunt, ut simul anteriora petant. Incedit porro utriusque lateris radix, in cornu, ut ajunt, descendente ventriculorum lateralium, inter crus cerebri et lobi posterioris mediam fere partem, ita ut haec inferior ipsa sit, interposito tamen plexu choroideo; circum illud vero superius ipsi incumbens ducitur, eo absque dubio consilio, ut insigniora inde accipiat incrementa. Etenim nervus noster posteriori parte cum processibus medullaribus cerebri (cruribus) adeo cohaeret, ut inde eum origines petere, nullo modo dubitare possis. Pars vero vel margo anterior (nam hac in regione ad planitiem magis quam rotunditatem accedit) acutus ita nervum a cruribus cerebri separat, ut hoc loco incrementa capere plane non possit. Ulterius vero idem posterior margo, originibus dextri nervi ad radices sinistri tendentibus, in tubere cinereo, a quo pendet infundibulum *b*), tandem adeo evanescit, ut origines, quae

*) Obss. anat. p. 63. *a*) l. c. *b*) vide pag. 46.

quae jam in eo ſunt, ut in truncum abeant, albedine tantum quodammodo a tubere iſto diſcerni poſſint.

## §. 36.

A remotiſſima autem, qualiscunque illa ſit, origine, ad eum usque locum, ubi ſubſtrato lobo poſteriori incumbere deſinit, nervus opticus viae comites habet arterias et inter has ingniorem ad plexum choroideum adſcendentem trunculum et plexum choroideum, eique praeterea accumbit eius fere veſtigia premens, interpoſito tamen eodem plexu, crurum fornicis continuatio ea, quae pes hippocampi dicta, illique quaſi adaptata, ejus curſum quodammodo imitatur, et cauſae forte fuit, cur (quod §. 33. indicavi) radices nervo noſtro praebere a nonnullis crederetur.

## §. 37.

Simulac vero ad illud tuber, a quo pendet infundibulum, utrinque in medium cerebri delatae origines nervi optici concurrerunt, ultimis ibi fortaſſe incrementis *c*) aſſumtis, et intimius cum tubere modo dicto, et ſecum ipſis, et cum tenerrima medullae cerebri lamina, quae cavernarum cerebri anticum receſſum (quem diſſectione cerebri verticali apertum, ut conſpici queat, in tabula tertia *c**) exhibui) claudit, confluentes, communi piae matris velamine obducuntur. Jam vero in eo ſunt, ut, ſi eadem via quisque nervus pergeret, mutuo ſe fere in X formam tranſcenderent, et dexter

*c*) eam originem notavit HEUERMANN.

*c**) 4. 3, *a*.

dexter nervus ad ſiniſtras, ſiniſter ad dextras partes abiret; ſed inflectitur hic et ad ſe ipſum quaſi reclinatur nervus, adeo ut conjunctione ea, quae in media baſeos encephali regione fit, ſuperata, in truncum a cerebro ipſo jam ſolutum deſcendens, ad oppoſitas ei regioni, quo tendere videbatur, partes pergat. Itaque angulum obtuſum c**), ut ajunt, origines cum trunco conſtruunt, in eoque cum primo conveniunt pari *d*).

## §. 38.

Sed antequam progrediar, paulum adhuc intimiori illi et aegrius explicabili originum coniunctioni, qua oritur corpus quoddam, quod nervo alterutro, interdum vero duobus ſimul ſumtis majus reperitur, et quod fere ad quadratam formam accedere videtur ZINNIO d*), immorari liceat. *Decuſſari* enim, (quod alii, v. c. CARPUS *incruciari* dixerunt) ſive ita ferri, ut radices dextrae in truncum ſiniſtrum, et ſiniſtrae in dextrum transeant, nonnullis vetuſtiſſimo errore perſuaſum erat. Hujus opinionis principes libro primo *e*) nominavi, quorum nonnulli, etſi in reliquis paribus decuſſationem non urgerent, nervorum tamen opticorum dictam coniunctionem absque illa explicari non poſſe, contenderunt. Sed haec ſententia mox plerisque, et iis, quos praeſtantiſſimos facile concedes, anatomicis displicuit, et ab omnibus fere neglecta jacuit.

Non decuſſari inciſorum princeps GALENUS aperte docuit: οὐ γὰρ δὴ, inquit, ἐνήλλαξέ γε (ἡ Φύσις) αὐτὰ, τὸ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν ἐπὶ

c**) Tab. II. 2. p. *n*.
*d*) vide pag. 82.
d*) de oculo p. 191.
*e*) pag. 13. ſeq.

ἐπὶ τὸν ἀριστερὸν ὀφθαλμὸν ἀγαγοῦσα, τὸ δὲ ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὸν δεξιὸν, ἀλλ' ἔστι μὲν ὁμοιότατον τῷ X γράμματι τῶν νεύρων τέτων τὸ σχῆμα. Qui vero melius mentem ſuam declarare potuit hisce verbis: καὶ τις ἐκ ἀκριβῶς ἀνατεμὼν ἐπαλλάττεσθαι δόξειεν ἄν ἴσως καὶ ὑπερβαίνειν ἄλληλα· τὸ δ' ὀυχ ὅυτως ἔχει - - - *f*). Nihilo tamen minus (uti ſaepius male eum interpretati ſunt) haud pauci GALENUM defenſorem ejus ſententiae allegare non ſunt veriti, v. c. ROLFINCK *g*) qui dixit, GALENUM *innuiſſe forte, interſecari.* Nec, ſi experimentis contrarium fuiſſet edoctus, infenſiſſimus Galeno VESALIUS ejus ſententiam amplexurus fuiſſet, quam tamen inſigniter egregiis obſervationibus ſtabilivit. Bis enim eiusdem lateris, in quo coecitas aderat, nervum ab originibus usque ad eum, quo oculo inſerebatur, locum, deſtructum invenit *h*). Eadem VALVERDA, CAESALPINUS *i*), SANTORINI *k*), CHESELDEN et LOESEL denuo ſibi viſa tradiderunt; et recentiſſima aetate Ill. ISENFLAMM *l*) confirmavit. Eo enim, quem protulit, caſu probabile erat, vulnus ſupercilio dextro inflictum eiusdem lateris nervum opticum adeo deſtruxiſſe, ut usque ad conjunctionem marcidus lividusque appareret, altero integro. Quocirca fere adſtipularer MATHEI *m*) dicenti: *Si quaedam practicae obſervationes contrarium tueri videntur, ſententiae hae nihil praeter ſuorum ſcriptorum praeceps judicium declarant.* Decuſſari porro negarunt VAROLIUS *n*), CAROL. STEPHANUS *o*), JUL. CAS-

*f*) de uſu partium L. 10. c. 12. edit. Chart. T. IV. p. 546.

*g*) Diſſ. anat. Lib. 4. c. 31.

*h*) L. IV. c. 4. ed. Baſ. 1555. pag. 518.

*i*) et ex eo RIOLANUS Anthropogr. L. IV. c. 3. p. 393.

*k*) Obſſ. anat. p. 64.

*l*) Diſſ. de difficili in obſervationes anatomicas epicriſi. Comment. Ima. Erlang. 1771. §. 29.

*m*) l. c. p. 24. ſeq.

*n*) l. p. 28. cit. p. 14.

*o*) de diſſectione part. C. H. Paris 1545. fol. p. 247.

CASSERIUS *p*), SANTORINI p*), qui quamvis alias decuſſationem fibrarum cerebri ſtatuat, nervum tamen opticum hoc ſaltim loco non modo non decuſſari, ſed ne implicari quidem expreſſis verbis tradit, MORGAGNI *q*), WINSLOW q*), AL. MONRO *r*), COOPMANNS *s*), qui ne in piſcibus quidem (quod MONRO *t*) contenderat) decuſſari annotavit, Ill. LIEUTAUD *u*), ZINN *v*), A. MATHEI *x*), et ſummus HALLER *y*), *neque probabile eſſe*, addens, *varietatem in ea re eſſe.*

Contrariam vero ſententiam, praeter eos, quos ſupra allegavi *a*), fovit et PETIT *b*), qui in gallo indico nervi optici decuſſationem deſcripſit. Sed quid hoc ad hominem?

Alii *ex parte tantum decuſſari* ſtatuerunt, ut VIEUSSENS *c*), WINSLOW huic ſententiae non repugnans *d*), et ſtrenuus VIEUSSENII defenſor MATHEI *e*).

Viri vero acerrimo judicio praediti HALLERI *f*) ſententiam praetermittere nefas duco dicentis: *ſi natura illos ſimpliciter unire voluiſſet, facilius tela celluloſa id obtineret; quam ob rem morbos et autopſiam docere, aliquo latiuſculo ſpatio, totis medullis confundi.*

VIEUS-

*p*) Pentaeſth. l. 5. c. 16.
p*) pag 63.
*q*) Epiſt. anat. XVIII. art. 40.
q*) Tome IV. nro. 137.
*r*) Tractatus de nervis, motu cordis, et ductu thoracico latine redditi a COOPMANNS, qui praeter commentar. et librum de cerebri et nervor. adminiſtratione adjecit. edit. alter. Harling. 1763. 8. p. 93.
*s*) ibid.
*t*) ibid.
*u*) Eſſais anatom. p. 346.
*v*) de oculo p. 190.
*x*) p. 25.
*y*) Elem. phyſ. T. V. p. 351.
*a*) pag. 14.
*b*) Mem. de Par. 1735. pag. 114.
*c*) Nevrograph.
*d*) Tome IV. nro. 137.
*e*) Diſſ. cit. p. 25.

VIEUSSENS *g*) vero interventu medullaris ſubſtantiae, quae ſejunctis a ſe invicem nervis promineat, et quam etiam in tabulis exhibuit, ſimul coaleſcere nervos opticos docuit; quam vero opinionem merito alii, in quibus et ZINNIUS *h*) rejecerunt.

Alii denique, eo loco *copulatos tantum* eſſe *i*), vel per *contactum lateralem* arcte coire, vel alterum alteri duntaxat accedere, ut deinceps disjungerentur, alii coaleſcere *k*), alii filamenta illorum non permiſceri *l*), alii fibris non permixtis jungi, alii non confundi illorum ſubſtantiam, ſed ſolummodo membranis conjungi *m*), vel, quod idem fere eſt, ſuis membranis firmiter ſibi connaſci mutuo, ſtatuerunt. RIOLANUS vero, GALENUM ſequutus, canaliculo interjecto, et ROLFINCK in formam literae H conjungi, docentes, utpote a veritate longe remotiſſimi juſtam MORGAGNI *n*) reprehenſionem meruerunt.

## §. 39.

*Quanquam*, ut recte judicat MORGAGNI *o*), *de tot propoſitis qualiscunque etiam coniunctionis utilitatibus vix aliqua inveniatur, quae ſatis veroſimilis videri queat*, attamen ſpeciminis gratia, ut, quantopere ingeniorum aciem exacuerint, intelligatur, eas in medium proferre liceat.

Primo autem, rejectis GALENI *o**) aſſertis, qui ideo conjungi exiſtimabat *ut πόροι illorum coniungerentur*, veritati minus con-

*f*) Elem. phyſ. T. V. p. 348.
*g*) Tab. IX. H, H.
*h*) de oculo p. 190.
*i*) BLASIUS comm. ad VESLINGII ſyntagma anat. c. 14
*k*) PETRIOLI in explic. tab. 21. fig. I.
*l*) VESLING. TAUVRY. MUNNICKS.
*m*) COLLINS p. 1045.
*n*) Epiſt. anat. XVI. art. 13.
*o*) l. c. art. 14.
*o**) de uſu part. L. X. c. 12.

conſentanea mihi eſſe videtur eorum ſententia, qui eam naturam fabricam machinatam eſſe opinantur, *ne una res aſpectabilis duplex videatur.* Hanc enim hypotheſin funditus evertunt obſervationes VESALII *p*), qui absque ulla viſus laeſione ſemotos non conjunctos hos nervos reperit et pingi curavit; rectequeRIOLANUS p. 393. objicit: - - qui fieri poterit, ut, digito alterum oculum premente, una res gemina videatur, cum ea preſſio nervos opticos non dirimat? II. Nec magis arridet explicatio, qua ſtatuitur conjungi eam ob cauſam, *ut altero laeſo alter integer cernat.* Annon enim tum potius removendi quam conjungendi eſſent? III. Contraria plane ratione explicarunt alii, dicentes, cauſam eam ſubeſſe, *ut morbus alterius cum altero communicetur;* ſed hoc experientia medicorum clinicorum non confirmatur: niſi enim ex interna quadam cauſa uterque ſimul oculus afficiatur, externa vi alter totus deſtrui poteſt, ut nihil tamen plerumque alter patiatur. Caeterum me non fugit, quod MORGAGNI obſervavit, amauroſi utrumque oculum laboraſſe, centro nervi optici in uno tantum latere laeſo. Quis vero omnes amauroſeos cauſſas vel poſt mortem detegere valeat, eamque laeſionem veram et unicam fuiſſe cauſam certa fide adfirmet? IV. et V. Ideo etiam conjunctos eſſe quidam perhibuerunt, ut nervi minus aut nihil paterentur in medio viae tractu: *nam qua parte coëunt,* inquit ARCH. PICCOLHOMINI *q*), *maxime periclitantur, tum propter cavitatem inſigniorem in eis excavatam, tum propter mollitudinem.* Conjunctos ita, alii addiderunt, firmiores factos mollitiem ſuam tueri. Sed ſponte corruunt haec aſſerta, cum

*p*) L. IV. c. 4. ed. Baſ. 1555. pag. 518.

*q*) Praelect. anat. Lib. VII. Sect. 2. p. 288.

cum ex cavitate, infra a me rejicienda, et mollitie peculiari, fundamentis a veritate remotiſſimis nitantur. VI. et VII. Nec defuerunt, qui ſibi perſuaderent, nervos noſtros, *ſi recti incederent*, *multum inde periclitaturos*; quod alii, ulterius adhuc progreſſi, ita explicarunt, ut *illos ruptum iri, ſi ſecundum rectum locarentur*, contenderent. Sed haec hypotheſin nimis redolere, nemo non ſtatim intelliget. Cur enim alii nervi recta progredientes via non rumpuntur? Et cur VESALIUS, ruptos eos non reperit? VIII. Nonnulli naturam legibus, quas ipſi ſibi finxerant, adſtringere cupientes, *eam ſenſuum omnium principia ad unum reducere oportere*, arroganter contenderunt. Cur autem hic potiſſimum unum hocce principium, nec potius in eo loco, ubi altiſſimae nervi optici origines verius forſan confluunt, quaeramus? IX. Eiusdem farinae et eorum opinio eſt, quibus placuit, *eo modo ſpiritum viſorium* (quisquis ille ſit) *clauſo altero ad alterum transportari; oculo enim altero clauſo, alterius pupillam dilatari.* Quod alii magis perſpicue rem proponentes ita interpretabantur, *ut cum per foramen anguſtum aliquid cernere cogimur*, aut per eandem rectam lineam, per quam ambo cernere nequeunt, *ex ambobus fiat unus.* Ad verum autem phaenomenon illuſtrandum inepto ſane uſi ſunt argumento: etenim non ob conjunctionem iſtam, ſed ob remotam lucis copiam objecta per anguſtum foramen ſpectata diſtinctiora oculo apparent; hinc vel pueris notum, ipſum ſplendidiſſimi ſolis, per chartulae craſſiuſculae ſubtili acu factum foramen aſpecti, fulgorem adeo infringi, ut oculus levi hoc artificio ſatis munitus ſummi luminis vi impune ſeſe objiciat. X. Ipſi autem GALENO *r*), praeter id, quod

*r*) de uſu part. Libro XIV.

quod nro. I. allegavimus, verisimillimum videtur, *eo modo facultatem visoriam duplicatam acutiorem reddi.* Sed qui ea conjunctione duplicari potest? Annon radiorum lucis eadem copia cerebrum vel absque illa afficeret? XI. In ipsa conjunctione solidius hoc par esse, *quo per eorum substantiam spiritus devectus subtilior evadat, et ne affatim ad oculos affluens cito dissipetur*, CASP. BAUHINUS *s*) autumat. An vero spirituum naturam satis rimatus est BAUHINUS? XII. Conjungi eam ob causam, ut *commodius ad oculos pervenire possent, alias intactam relinquerent orbitam*, JUL. CASSERIUS *t*) satis ingeniose tradidit. Quanquam ad id consilium exsequendum laxiorem forsan conjunctionem sufficere potuisse videri possit; nec non in exemplo Vesaliano nervus opticus absque ea cohaesione ad oculum perveniebat. XIII. Matheseos denique praeceptis eandem rem illustrare studuit DANIEL BERNOULLI JOH. FIL. *u*) cuius sententiam aegre absque figurarum ope intelligendam, quantum potero, perspicuam reddere annitar. Rationes autem affert, cur non recta linea (ut alii nervi) nervi optici oriantur. Etenim I.) dum locus insertionis nervi optici in bulbum ad visum inutilis est, natura in id intenta esse debuit, ut fieret inter omnes possibiles minimus; hocque obtinetur, dum perpendiculariter bulbum nervus ingreditur - - attamen II.) non e directo pupillae opponi debuerat hic locus, alias enim objecta in medio perforata nobis apparerent, illudque, in quo oculos nunc defixos habere solemus, non

*s*) Theatr. anat. L. 3. c. 20. p. 340.
*t*) Pentaesth. L. 5. c. 16.
*u*) Commentar. Petropol. T. I. p. 314. *Experimenta circa nervum opticum* — Tab. 13. fig. 7. 8. 9.

non videremus. Hinc ſapienti conſilio natura eos oblique, oculorum habita ratione, oriri juſſit. Neque non ratio conjunctionis nervorum opticorum exinde deduci poteſt. XIV. Alii, ut VERHEYEN *x*), a dicto coalitu angulum confici, quo infundibulum commodius et tutius collocetur, putarunt; quae ſententia cum neque fabricae neque aliis phaenomenis repugnet, et ab hypotheſi remotior eſſe videatur, non omnino displicet. XV. An huic forte conjunctioni tribuendum, quod impreſſiones viſu perceptae diutius, ut ita dicam, menti inhaereant illis, quas reliqui ſenſus nobis praebent; quod v. c. circulo igneo, carbone in gyrum ne maxima quidem velocitate acto, illuſtratur? XVI. An ſimul vinculi inſtar inferiorem cerebri partem continet? Etenim deſtructo per macerationem tuberculo, a quo pendet infundibulum, et parte ea cerebri, quae receſſum ventriculi maxime anteriorem claudit, ſupereſſe adhuc eam conjunctionem cernes, impedientem forte, quo minus hoc loco cavernarum cerebri pavimentum inferius dehiſcat. XVII. Ad viſum certe non neceſſariam eſſe iſtam conjunctionem, obſervationes ſupra allegatae *y*) demonſtrare videntur.

## §. 40.

Jam truncus magnitudine quintum ſi non ſuperans, eidem tamen fere aequalis, vix caeteris mollior, nec ante introitum arteriae centralis retinae ſenſili foramine pertuſus, nec etiam ſpongioſus apparet, ſed filamentis fibrisque nerveis conſpicuis, in

*x*) p. 219. edit. Bruxell. 1710. *y*) pag. 102. et 105.

in infantum praeſertim cerebris laxius cohaerentibus, in adultis vero firmiter in unum truncum compreſſis, uti perpetuo obſervavi, conflatus.

## §. 41.

Eundem vero truncum GALENUS maximum et molliſſimum nervum (μαλακότατον *a*)) et quod perforatum eſſe opinabatur, ſimul craſſum (παχέα) *b*) dixit. Alii molliſſimum eum dixitarunt, non ſolum quod caeteris brevior, (pro comperto enim habebant, quo breviores ſint, eo etiam molliores nervos eſſe) ſed etiam, quod e thalamis humore cavernarum cerebri irrigatis oriretur *c*). E ſingulis autem fibris conflatum, uti in porcis VESALIUS *d*) et in bobus VOLCHER COITER *e*) obſervarunt, ita et alios *f*) et me ipſum in homine obſervaſſe, ſupra annotavi. Singulum ejusmodi faſciculum pia matre veſtiri, veroſimile eſt; quod etiam ſuſpicatur HENCKEL *g*), et ZINNIO *h*) annotatum eſt. Vix itaque probanda MATHEI *i*) opinio, usque ad foramen opticum non obduci pia matre, peculiari huic nervo fabrica, exiſtimantis.

E laminis autem cerebri complicatum, quam fabricam Eu-

*a*) de nerv. diſſect. c. 2. in fin. edit. Chart. p. 242.
*b*) de uſu part. Lib. XVI. c. 3. edit. Chart. p. 676.
*c*) HENCKEL in Epiſt. cit.
*d*) de corp. hum. fabrica edit. Baſil. 1555. p. 528. Lib. IV. c. 4.
*e*) Externar. et intern. principal. C. H. partium tabulae atque anatomicae obſ. variae cet. Norib. 1573. fol. p. 87.
*f*) v. c. DIEMERBROECK p. 376.
*g*) Epiſt. cit.
*h*) p. 193.
*i*) p. 25.

EUSTACHIUS *k*) primus in animali obſervavit, et MALPIGHI denuo in piſce detexit *l*) et pinxit *m*), tum etiam in minoribus piſcibus vidit HALLER *n*), in homine non invenies.

## §. 42.

Idem truncus nervi optici ante eam regionem, qua illum arteria centralis retinae perforat, ſolidus apparet, ultra illam vero diſciſſus lumen oſtendit apertum; hinc veteres, minus in vaſis ſubtiliter inveſtigandis eruditi, perforatum eſſe crediderunt, ideoque totos nervos πόρους ab HEROPHILO nominatos fuiſſe, ſupra annotavi. Vere autem GALENUS ſcripſit *o*), *in ſolo hoc nervo, antequam oculo inſeratur,* (πρὶν εἰς τὸν ὀφθαλμὸν ἐμφύεσθαι) *ſenſile foramen conſpici:* quod alii ita accipiebant, quaſi totum truncum perforatum dixiſſet, ab ipſo forte ſeducti dicente *p*), *meatus illorum conjungi* (συνάψαι τοὺς πόρους) *eo, quo uniuntur, loco*; quae verba etiam obſtant, quo minus, uti putavit ZINN *q*), GALENUS cum VESALIO conciliari poſſit. Sic v. c. MAGNUS HUNDT *r*), GALENUM ſine dubio ſecutus, *ſolos nervorum concavos* eſſe ſcripſit. Sic EUSTACHIUS *s*) *foramen nervi viſorii aliis, vel multis reclamantibus, ante oculos ſexcenties expoſuiſſe*

*k*) in oſſium examine in opuſc. ed. Venet. 1564. p. 227.

*l*) I. ALPH. BORELLUM in edit. opp. poſth. MALPIGHII, huius famam tueri, et EUSTACHIUM ab eo expilatum fuiſſe, negare, retulit jam HALLER in bibl. anat. Tom. I. p. 490.

*m*) MARCELLI MALPIGHII epiſt. de cerebro.

*n*) Bibl. anat. Tom. I. p. 487.

*o*) de diſſect. nervor. c. 2. Tom. IV. edit. Chart. p. 241.

*p*) de uſu part. L. 10. c. 12.

*q*) de oculo pag. 194.

*r*) cap. 23.

*s*) Oſſium exam. p. 227.

*poſuiſſe ſe* gloriatur; quo fortaſſe auctore VOLCHER COITER uſus eſt. Poros eius morte claudi putabat RIOLANUS *t*); nec magis veritati conſentanea ADR. SPIGELII verba *meatum in nervo optico cum* HEROPHILO *et* GALENO, *a principio usque ad illum, ubi coëunt, locum, tunc vero evaneſcentem* notantia: nec VESLINGII, BLASII, MARCHETTIS, CHR. VATER aliorumque complurium teſtimonia majorem fidem merentur. Eum vero meatum, qui, obſervante SALTSMANN *u*), ſtylum in nervo optico bovis admittebat, arteriae centralis lumen fuiſſe arbitror.

## §. 43.

Sed ab antiquiſſimis inde temporibus celebrem illum porum vel meatum rejecerunt. Deſideravit illum JAC. BERENGARIUS CARPENSIS, expreſſis verbis *x*) *ſenſum cavitatem ejus negare in mortuo animali* contendens. Nec inter commenta illum referre veritus eſt VESALIUS *y*); ironice enim, *meae negligentiae*, inquit *y**), *cogor adſcribere, nervorum viſoriorum foramen me latere:* quod ſuis etiam obſervationibus confirmarunt FALLOPIUS *z*), CASSERIUS *a*), V. HORNE *b*), DIEMERBROECK *c*) et VIEUSSENS *d*). Nec minus jam dudum perſpexit PERRAULT *e*), cavitatem eam arteriae centralis retinae eſſe lumen. Satis in-

*t*) Anthropogr. p. 394.
*u*) Obſerv. anat. obſ. ult.
*x*) Commentar. in Mundinum.
*y*) de C. H. fabrica Baſil. 1555. L. IV. cap. I. p. 510.
y*) de radice chinae edit. ALBINO-BOERH. p. 660.
*z*) Obſſ. anat. in edit. Opp. VESAL. ALBINO-BOERH. p. 732.
*a*) Pentaeſtheſ. L. 5. c. 16.
*b*) loco pag. 74. *) cit.
*c*) L. 3. c. 8.
*d*) pag. 159.
*e*) Lettre au ſujet d'une nouvelle decouverte de la vuë. in opp. omn. 1669.

ingenioſum praeterea, detegendi hujus foraminis cauſa, experimentum inſtituit POLYC. GOTTL. SCHACHER *f*): nervum enim opticum ita antliae pnevmaticae applicuit, ut parti alteri, aeri externo expoſitae, mercurium imponeret, altera vacuum reſpiciente; nec tamen ullibi mercurius inventus eſt nervum opticum ſubintraſſe. ZINNIUS *g*) denique, ante arteriae inſertionem porum deficere, adeo ſtabilivit, ut nemini jam amplius dubium ea de re ſupereſſe poſſit.

## §. 44.

Nec denique ſpongioſum illum reperies, uti nonnulli ſtatuerunt, v. c. ANDR. LAURENTIUS *h*), qui non cavos eſſe ſed magis σπογγώδεις contendit, et VIDUS VIDIUS *i*), qui ſubſtantiam ejus *raram* magis quam perforatam dixit. Minus ergo aſſentiri poſſum RUYSCHIO *k*) perhibenti, *ſe oſtendere ſpongioſitatem foraminoſam pone et ante eorum unionem, a nemine hucdum demonſtratam* (quam et figuris exprimi curavit) *l*); *neque eam vulgari ſectione inveniri poſſe.* Sed egregie obſervationis hujus fallaciam oſtendit B. S. ALBINUS *m*), *poros illos ipſa eſſe diſſecta inaniaque vaſcula ſanguifera*, demonſtrans, et quo plura vaſcula cera impleta fuerant, eo minus de ſpongioſa illa natura ſuperfuiſſe.

## §. 45.

*f*) Diſſ. de anatomica praecipuarum partium adminiſtratione, Lipſ. 1710. pag. 41. ubi omnem ſimul apparatum eleganter delineatum invenies.

*g*) de oculo p. 194.

*h*) Hiſtor. C. H. et ſingul. ej. partium anatom. L. IV. c. 16.

*i*) Libr. 3. c. 1. p. 79.

*k*) loco pag. 29. cit. ep. XIII. ad WEDEL. pag. 29.

*l*) ibid. tab. 16. fig. 4. D. et fig. 15.

*m*) Annotat. academ. Lib. VII. c. VII. pag. 18.

## §. 45.

Plerumque iſti trunci in initio planiuſculi *n*), mutuo recedentes angulum rectum fere conſtruunt, et ſub arteriis corporis calloſi paulum progrediendo lobo cerebri anteriori tela agglutinantur. Tum ſub nervo primo, quocum eadem tela conjunguntur, transeunt, ſenſimque teretiores facti arachnoideae et durae membranae paratas ſibi vaginas intrant, modo prorſus ſingulari ad ſcleroticam usque illos circumdantes.

Vaſa hujus paris ſanguifera HALLER *o*) et ZINNIUS *p*) egregie deſcripta in tabulis exhibuerunt. Lymphatica vero in oculo bovis per retinam elegantiſſime ludentia, inde vero in majores truncos collecta in nervum opticum ſe intrudentia, obſervata a ſe, ſed non ſemper, tradit A. M. VALSALVA *q*).

Quae vero de ulteriori progreſſu non modo hujus ſed et reliquorum encephali parium memorari hic potuiſſent, *Ill.* WRISBERGIUM in deſcriptione egregiae tabulae, quae nervos capitis oſſa egredientes ſiſtit, ſplendido, quod parat, de nervis viſcerum operi inſerendae, una cum ſupplementis ad ZINNII de oculo librum, propediem tecum, candide lector, communicaturum eſſe, laetare; plurima enim ibi invenies, eaque non modo ad ſubtiliorem anatomiam, ſed etiam ad ipſam practicam medicinam facientia, quae a praeſtantiſſimis ſaeculi noſtri proſectoribus praeterviſa fuiſſe, profecto miraberis.

*n*) *Complanatos* vocat ZINN pag. 191.
*o*) Icon. anat. faſc. VII. tab. VII.
*p*) de oculo tab. 3.
*q*) de aure humana. Traj. ad Rh. 1707. 4. pag. 60.

# LIBRI TERTII

## SECTIO III.

## DE

## PARE TERTIO *).

### §. 46.

Δευτέρα συζυγία GALENI, etenim τρίτην συζυγίαν e ramo primo et tertio quinti noſtri compoſuit. Retinuere fere omnes, qui eum tempore ſequuti ſunt, anatomici hanc denominationem, et ipſo VESALIO alias GALENO infenſiſſimo, et FALLOPIO par *ſecundum*, *ſecundum coniugium* dicitur, nec longe ante illorum tempora nominibus *oculorum motoriorum*, vel *oculomotoriorum* notum fuiſſe dubitandum videtur, quum jam ipſe GALENUS ſcripſerit, illos ad muſculos oculos moventes abire *a*). *Motorium opticum* ſimpliciter illud vocat PETRIOLI in explicationibus tabularum BERRETINI *a**); MOLINETTIO *combinatio tertia* dicitur, qui WILLISII anteceſſoris auctoritatem ſequutus eſt. WINSLOW T. IV. nro. 138. *tertium par nervorum medullae oblongatae*, *nervos motorios communes oculorum*, *oculorum communes*, *oculo muſculares* appellat.

### §. 47.

Quo fato hic nervus expreſſis verbis e numero eorum, qui fila-

*) Par tertium GABRIELIS DE ZERBIS et ALEX. BENEDICTI eſt *par primum*. Par tert. DIEMERBROECKII quod guſtatorium vocat eſt *pars quinti cum quarto conjuncti*. VESALII par tertium eſt e *quinto et quarto* compoſitum. Par tertium CASP. BAUHINI nervus quartus noſter confuſe deſcriptus eſt. Et in univerſum fere nervus quintus noſter ſemper ante WILLISIUM par tertium ingrediebatur.

*a*) de nervor. diſſect. c. 3.

*a**) e. g. tab. XV. fig. V.

filamentis oriuntur, ut apud RIOLANUM in Anthropographia *b*), quem forte BLASIUS *c*) ſequutus eſt, legitur, eximi, et hanc ob rem cum optico comparari potuerit, id mihi non niſi e neglecta illorum temporum anatomica inſpectione hypotheſiumque amore nimio explicandum eſſe videtur.

Nec minus a veritate alienum nonnullorum, v. c. I. B. CORTESII *d*) aſſertum mihi videtur, quo ſtatuitur, ab intima ſpinalis medullae parte ortum ducere, ab ea ſcilicet qua fornicem producit, adeo ut quaſi ab ipſius (fornicis) cavitate exoriatur.

*Pontis anteriori parti* illum tribuunt RIDLEY *e*), MOLINETTI *f*), qui a ponte illum manare putat, et forte vitio pictoris tribuendum, quod in EUSTACHII tabulis *g*) ex ponte prodire videatur, ut *ill.* CAMPERUS *h*) judicavit. Huic parti illum tribuunt VIEUSSENS *i*), et WINSLOW *k*), quem ubique BONHOMME *l*) ſequitur; et licet AIMÈ MATHEI *m*) eandem opinionem tueatur, nihilominus fatendum eſt mihi, me illam nunquam experientia firmatam vidiſſe, et vix eo adduci poſſum, ut credam, adeo ſaepe, uti ex obſervationibus citatis patere videtur, has origines (ſin unquam vere obſervatae ſint) a ponte ipſo natas occurrere. Cujus meae ſententiae teſtem unum

*b*) Lib. IV. p. 395.
*c*) Comm. ad VESLINGII ſynt. anat. Cap. XIV.
*d*) Miſcell. med. Dec. I. fig. IIda V V.
*e*) p. 145.
*f*) p. 188.
*g*) tab. XVIII.
*h*) Epiſt. ad ALBINUM.
*i*) L. III. C. II. p. 167.
*k*) T. IV. nro. 138.
*l*) l. c. p. 70.
*m*) §. 21. p. 28.

unum inſtar omnium et gravem et fide digniſſimum ZINNIUM *n*) allego, qui *nullas*, ait, *ſibi fibras a ponte ad tertium par accedentes viſas eſſe.*

Verae originis ſatis accuratam figuram hucusque non vidi: ZINNII vero deſcriptio omnium optima eſt.

## §. 48.

Oritur igitur, quantum in plus quindecim cadaveribus humanis videre mihi licuit, in ſpatio inter eminentias candicantes, et ſulcum illum, qui pontem anterius terminat, quodque ſpatium foveolam *o*) quaſi ſurſum excavatam repraeſentans, ſolummodo a pedunculis vel cruribus cerebri conſtituitur, ex ipſis internis poſtremis et fere imis cruribus cerebri. Fibris colligitur hic nervus numero inconſtantibus, diſſitis, ita ut aliae ex anterioribus paulum verſus poſteriora tendentes ad illas, quae a parte inferiore horum crurum introrſum prodeunt, paulo ſuperius locatas, accedant. Hae fibrae *anteriores* quo ſuperiores ſunt, eo magis ſimul ſunt interiores, adeo ut, ſi tibi fingas, crura cerebri dividi ſubtili linea, hae ſupremae et maxime internae radices utrinque illam lineam fere attingant. Hinc ſupremae dextrae radices ſiniſtris fere contiguae ſunt; *proximas* eſſe LAURENTIUS, cujus obſervationem et HALLERI *p*) confirmat auctoritas; *fere contiguas* eſſe ZINN l. c. dixit; ſic et mihi frequentiſſime viſas eſſe in annotationibus meis reperio, licet VIEUSSENIUM poſt VAROLIUM illas *continuas* feciſſe fibras, et ex ea continuitate ſibi explicaſſe, quod uno oculo moto, alter quo-

*n*) Deſcriptio oculi p. 195. *o*) vide tab. noſtr. III. ss et tab. I. ss.
*p*) Elem. phyſ. T. IV. p. 207.

quoque moveatur, non ignorem. Nunquam quidem aliter se habere, et VIEUSSENIUM eorum conjunctionem solum inter nevrographos indicasse, arbitratur AIMÉ MATHEI. Sed immerito tribuitur haec observatio VIEUSSENIO. VAROLIUS *q*) enim (et sine dubio ex eo etiam RIOLANUS *r*), qui, uti in reliqua cerebri descriptione, verbotenus fere illum sequutus est) *in exortu*, inquit, *ambo utriusque lateris nervi adeo simul uniuntur, ut in angulo quodam se mutuo contingant; quodsi*, pergit, *hanc copulam diceremus esse causam, propter quam oculi ambo simul, et ad easdem partes moventur?* Equidem hanc continuitatem fibrarum, quam adeo constantem reperiri, auctores citati sibi persuaserunt, hucusque detegere non potui.

Pari modo haesito, an ad sententiam ZINNII (l. c. p. 195) accedam, *nonnullas fibras ad ipsam commissuram anteriorem pertingere videri.* Nec tabulam tertiam nostram hisce assertis omnino consentaneam esse reperies.

His supra dictis *anterioribus* et *interioribus* aliae accedunt, fibrae *posteriores*, quae sensim a prioribus ita recedunt, ut, quae maxime posteriores, simul a fovea illa inter crura cerebri remotissimae sint; hae sensim sensimque tum excipiuntur aliis radicibus, quas *exteriores* vocare possis, quum ab exterioribus leniter ad interiora vergant.

## §. 49.

Hae fibrae maxime numero variantes, penicilli speciem prae-

*q*) de nervis opticis, edit. meae p. 127.

*r*) Anthropograph. l. IV. p. 394.

praebentes, mere adhuc medulloſae, per piam matrem interdum pellucentes, ſubtilem hanc membranam ita perforant, ut ipſa veſtiri credantur. Tum ſibi ſenſim propius accedentes, ita ut fibrae illae, maxime interiores, deorſum et antrorſum incurventur, ut reliquas attingere poſſint, in unum truncum, per inſigne ſpatium naturam faſciculatam adhuc retinentem, coaleſcunt. Modo enatus truncus, plus duplo ſexto major, (ſemel MORGAGNI *) ſexti quintuplum non ſine tantae craſſitudinis admiratione deprehendit) et inter cerebrales ad nervi optici craſſitiem proxime accedens, (licet illo longe minor ſit) plerumque planus reperitur, ita ut altera harum ſuperficierum inferior, altera ſuperior ſit, quae planities ejus ſenſim progrediendo compactior facta, magis magisque fibris, e quibus conflatur, ſibi compreſſis, tandem in rotunditatem abit, ut plerumque ea in regione, qua ſub nervo optico tranſit, jam teres inveniatur, in qua obſervatione conſentientem et celeb. SABATIER s) video. Tendit jam ab interioribus nervus tertius utrinque deſcendendo quaſi media e cerebri regione, atque a compari ſuo oblique extrorſum magis ſecedens leniter ſe torquet, ita ut planum eius ſuperius, ut innuimus, fiat poſterius; tum vero inferius, ad rotundam figuram jam propius accedens, offendit quisque nervus in ſuo latere arteriam cerebelli ſuperiorem, et cerebri poſteriorem ZINNII (quam HALLER *t*) cerebri profundam vocat) quas inter ipſe ſemper in homine, non minus ac in brutis medius tranſit. (Semel per medium truncum nervi tertii paris arteria cerebri profunda perforando

*) Epiſt. anatom. XVI. artic. 47. p. 329.

*s*) Tom. II. p. 68.
*t*) Elem. phyſ. T. IV. p. 207.

forando tranſibat). Tum prolabendo ſub nervis opticis, irretitur textu celluloſo membranae arachnoideae, quae hac in regione recta via a ponte fertur ad lobum cerebri anteriorem, eoque loco alter nervus ab altero remotiſſimus apparet, ſimulque foramen ſeu potius hiatum durae membranae ſubit.

## §. 50.

Prae reliquis ergo paribus baſeos cerebri hoc prorſus ſingulare habet, ut quaſi omnium maxime medius, et origines fere contiguas habens e maxime interiori cerebri parte prodeat.

Quae de radicibus ejus nulla pia matre adhuc obductis, ſed nude ſub illa currentibus, dixi, utpote quovis artificio, quo pia mater a cerebro ſeparari poteſt, facillime demonſtranda, egregie confirmata vidi in cerebro apoſpasmate piae matris laborante; (cui ſimillimum caſum ab ALEX. CAMERARIO peculiari diſſertatione Tubingae 1722. deſcriptum maxima cum jucunditate legi) in hoc enim vetulae encephalo, cum inter piam matrem et ipſum corticem aqua effuſa eſſet, incraſſata et ſeparata erat tenuis membrana undiquaque a cerebro, ut haec a nervo tertio facta perforatio piae matris facillimo negotio demonſtrari poſſet; quod etiam, quamvis non pari facilitate, in cerebro ad putredinem tendente apparet, et luce clarius evadit, ſi in hanc rem in cerebro liquore illo MONROI indurato *u*), quo ſimul illius membranae craſſeſcunt, inquiritur.

*u*) vide libr. I. pag. 3.

# LIBRI TERTII

## SECTIO IV.

## DE
## PARE QUARTO *).

### §. 51.

Quamvis a GALENO non diſtincte deſcribatur, latuiſſe tamen eum vix credo, ſed *tertii paris* nomine, quod pars quinti noſtri eſt, procul dubio ab illo propoſitum eſſe arbitror. Ipſe enim fatetur, ſe antiquiorum auctoritatem in ordinandis paribus ſequi, qui facile arctiori illo telae celluloſae vinculo, quo in brutorum cerebris, prope rete mirabile cum nervo quinto conjungitur, eo adduci poterant, ut duo haec, ab ortu usque ad finem diſtincta paria, unum tantum eſſe crederent. ALEX. ACHILLINUS *a*) vero ab Ao. 1520. vulgo pro inventore hujus nervi habetur, et ipſe ſibi hanc gloriam vindicans. A VESALIO, licet eum non male in figuris expreſſerit, ut FALLOPII *b*) verbis utar, *ob modeſtiam, ne numerum ab aliis anatomicis poſitum turbaret, pro diſtincto nervo non eſt propoſitus, ſed pro minori propagine tertii paris annumeratus.* Idem VESALIUS alio loco *b**) eum gra-

*) Quartum GALENI, VESALII, aliorumque, eſt ramus ſecundus quinti: ALEX. BENEDICTI, forte nervus lingualis quinti: COLUMBI, nervus lingualis quinti. BARTHOLINI, mixtum e noſtro quarto et quinto: VAN HORNII, ramus primus quinti.

*a*) Mag. p. 13.

*b*) Obſſ. anat. quae in Tomo II. Opp. VESALII a BOERHAAV. et ALBINO editorum reperiuntur pag. 738.

b*) de corp. humani fabrica Libr. IV. Cap. VI. edit. Baſil. 1555. pag. 519.

*graciliorem durioremque radicem nervi tertii paris* vocat et adeo ortu et progreſſu ab illo diſtare dicit, *ut verius peculiare par quam tertii paris portionem quis aſſeveret* †). Male vero rem ſuam defendit VESALIUS *c*) contra FALLOPIUM contendens, ſe hunc a nemine obſervatum nervum non in tertii (quinti noſtri) paris ſed quinti (ſeptimi noſtri) hiſtoria deſcripſiſſe. FALLOPII vero verba modo allegata ſimul declarant, FALLOPIUM aperte illum diſtinxiſſe a tertio; quo nomine illis temporibus alii hanc, alii illam quinti noſtri partem comprehendebant. Ne vero numerum vulgo notum immutaret, nec, quod in VESALIO laudaverat, ipſe omitteret, *octavi* nomine illum inſignivit. Plerique enim veterum ſeptem tantum numerare ſolebant nervorum paria.

EUSTACHIUM non latuiſſe, hoc par a reliquis ſeparandum eſſe, praeter illius tabulas in quibus variis in figuris et quoad ortum et quoad progreſſum elegantiſſime expreſſum reperitur, et verba, quibus illud *nervos qui prope nates oriuntur* appellat, declarant. REALDUS COLUMBUS *d*) *nonum* et *par nervorum exilium* vocat, et a ſe inventum venditat. I. B. CORTESIUS *e*) *no-*

†) Ita eum intelligo, in quo et MORGAGNIUM Epiſt. anat. XVI. art. 45. teſtem video, licet MECKEL diſſ. de quinto pare §. V. arbitratus ſit, VESALIUM ſub radice graciliori tertii paris, intellexiſſe ramum primum quinti noſtri.

*c*) Examen obſerv. FALLOPII.

*d*) de re anatom L. 8. c. 3. HALLER in diſſ. *de vera nervi intercoſtalis origine* (ab ipſo in Diſputt. ſelect. Vol. II. recuſa) putat quidem, nervum nonum COLUMBI ſextum noſtrum eſſe, ſed mihi potius nono ſuo nervum, quem jam deſcribo, indicare voluiſſe videtur. Expreſſis enim verbis illum e natibus oriri dicit, quanquam diſtributionem potius ramo primo nervi quinti convenientem ei tribuit. Cujus ſententiae teſtem ZINNIUM (de oculo p. 198.) reperio.

*e*) Decad. I. in explicat. figur. 2. et 3. mm.

*nonum* illud par appellat, et egregie, pro illorum temporum conditione, illius originem veram figura IV. expreſſit. At omnino judice MORGAGNI *e**) mirandum, cum FALLOPII obſervationes in omnium eſſent manibus, tanto poſt tempore ſcripſiſſe, *hunc nervum ab omnibus anatomicis accipi pro portione tertii paris, quia principium hujus* (Pathetici) *non cognoverunt;* In alium errorem CASP. BAUHINUS incidit, qui, vulgari ſui temporis nomine, *tertio* pari eum annumerans, nihilo ſecius FALLOPIUM citat, expreſſisque verbis par tertium ſuum a FALLOPIO octavum vocari indicat. Vix vero diviſio, quam ei tribuit, a corrupta illa COLUMBI differt; quod etiam vitium a multis aliis, neglecta optima FALLOPII deſcriptione, commiſſum eſſe conſtat. Apud ISBR. DIEMERBROECK *f*) ſub *tertio* pari (quod olfactorium nominat) e ramo primo et ſecundo quinti noſtri compoſito comprehenditur. GUERNERO ROLFINCIO *g*), GALENI alias aſſeclae, ad tertium noſtrum referre illum placuit. WILLISIUS etiam, nervum noſtrum in eum, quem ipſi natura tribuit, locum reſtituendo laudem promeruit; nec eam ob cauſam mirandum eſt, recentiores omnes illius ordinem eſſe ſecutos: parvi enim momenti ſunt MOLINETTI verba, quartum WILLISII *ſextam combinationem* vel *trochlearem* vocantis. His etiam temporibus nomen nervi *pathetici*, vel *pathetici oculorum*, ut WILLISIUS eum appellat, accepiſſe videtur. Non male eum VESLING deſcripſit, licet eum non pro diſtincto pari habuerit;

*e**) Epiſt. anat. XVI. art. 43. 1679. L. 3. c. 8. p. 379.

*f*) Anatom. corp. hum. Lugdun. *g*) p. 728.

buerit; WINSLOW *i*) aptiſſime *nervos muſculorum obliquorum ſuperiorum* vocat.

## §. 52.

Hoc prorſus ſingulare noſter nervus habet, ut inter reliquos altiſſimas e parte ſuperiori quadam cerebri origines petat, et pro gracilitate ſua longiſſima omnium nervorum cerebri via ad duram matrem deſcendat.

Quam vero ob cauſam par hocce gracillimum, non modo in homine, ſed et in omnibus, quotquot eius perquirendi cauſa ſecui, quadrupedibus, ſeparatum quam maxime ſemper reperiatur, ignorare cum clariſſimis viris non erubeſco. Nec enim a recentiore quodam ſcriptore obſervatum me videre memini, illius defectum ramo alius paris peculiari ſuppleri; nec etiam ullibi recordor traditam fuiſſe cauſam, quae explicaret, cur tenue hoc par ſeparatum ſemper a reliquis omnibus et oriatur et incedat; quum videri poſſit, facilius eum, ad quem abit, muſculum nervos ſuos ex quinto, ſexto, vel tertio pari breviori via nanciſci potuiſſe. Certiſſimum tamen et peculiarem quendam hujus fabricae uſum eſſe, vel hoc maxime indicari mihi videtur, quod perpetuo adeſſe, nec unquam deficere reperiatur.

## §. 53.

Hic ergo nervus, quem *quartum* merito vocant, et qui, obſervante in demonſtrationibus publicis *Ill.* WRISBERGIO, in-

*i*) Tom. 4. nro. 139.

interdum in latere dextro craſſior reperitur, oritur pone corporum quadrigeminorum tubercula poſteriora, *teſtes* a plerisque *k*) dicta, variante ſaepius loco, et fibris numero diverſis. Etenim integrum hoc par duplex adeſſe, ut RUYSCH refert, ad rariores certe obſervationes anatomicas pertinere arbitror.

Quantos neglecta cadaverum inſpectio anatomica errores produxerit, exemplo eſſe poſſunt verba VESALII *l*), qui cum ſeriori aetate a frequentiore cadaverum inciſione archiatri munere eſſet avocatus, male ſe contra FALLOPIUM in eum animadvertentem defendens: *caeterum*, inquit, *qui dicere poſſis* (Fallopium enim adloquitur) *tuum par octavum a cerebri cluniium natiumve baſi pronaſci, ignoro.* Minus recte et LANCISIUS *m*) *primum oriri contendit a protuberantiis cerebri, ubi cum pedunculis glandulae pinealis abnectuntur;* et nimis ambigue MONRO *n*) oriri a *parte anteriore laterali pontis*, dixit.

Ex ipſa usque valvula cerebelli oriri, praeter *Ill.* WRISBERGIUM teſtes allegare poſſum, NICOLAUM STENONIS, VIEUSSENIUM, (cuius tabula huic ſententiae accedere videtur

*k*) Variis enim autoribus tubera anteriora *Teſtes*, poſteriora vero *Nates* vocantur; quod jam GALENUS de uſu part. L. 8. c. 14. p. 205. (ed. Charter.) annotavit: τινὲς δὲ τὰ μὲν ὁμιλοῦντα τῷ κωναρίῳ σώματα διδύμια καλοῦσι· τὰ δ' ἐφεξῆς αὐτῶν γλουτία. Pleriſque vero horum corporum quadrigeminorum quae et TUBERCULORUM QUADRIGEMINORUM, *monticulorum*, *proceſſuum anceformium* nec illepido *pontis Sylvii* nomine veniunt, tubercula ANTERIORA γλούτια *nates, naticulae, clunes* vocantur; tubercula vero POSTERIORA, *teſtes*, διδύμια, *teſtiformes proceſſus*, *teſticuli*.

*l*) Exam. obſſ. anat. F. edit. ALBINO BOERHAAV. p. 806.

*m*) de ſtructura et uſu glandul.

*n*) Apud CHESELDEN ed. VII. Lond. 1756.

tur) *o*), et RIDLEYUM aperte eum e valvula, quam non Vieuſſenianam ſed Williſianam appellandam eſſe autumat, derivantem.

E tractu illo transverſo medullari in valvula cerebelli, qui continuo ductu, a proceſſu cerebelli ad teſtes dextro ad ſiniſtrum expanditur, prodeuntem nervum quartum pinxiſſe EUSTACHIUM *p*), perſuaſum habet SANTORINUS *q*), figurae explicandae gratia addens, ex illo oriri, *ut productus hic tractus a teſtibus disjunctus in nervum abire videatur.* Cui ſententiae etiam favent ZINN *r*) et WINSLOW *s*). Ex ea ſtria medullari, ſed non ſaepe oriri, HALLER †) credit.

Eam ergo trabem transverſam in valvula modo dicta non unice, ut nervo quarto origines praebeat, fabricatam eſſe *t*), exinde patet, quod ſaepius ipſe ita ex teſtibus emergat, ut nil niſi illorum exterius et deorſum demiſſa ſubſtantia eſſe, ſeu, ut optime FALLOPIUS *u*) dixit, *a natium* (quo nomine pro ſeculi more ipſi teſtes veniunt) *infima et poſteriori ſede ſeu baſi oriri* videa-

*o*) Tab. IX. gg. p. 69.
*p*) Tab. XVIII.
*q*) pag. 64.
*r*) p. 198.
*s*) T. 3. nro. 25. et Tom. 4. nro. 138.
†) El. phyſ. T. IV. p. 74.
*t*) Memorandam ſaepius in animalibus vidi fabricam, in quibus iſte tractus medullaris interdum nervuli inſtar, a reliqua valvula ſeparatus ita ferebatur, ut ſolutus a poſteriori ſuperficie ejus valvulae (cui laxe tela ſolum celluloſa adnectebatur) ex altero nervo quarto in alterum transiret, et ſtria illa alba anſa potius nervea communicans, e nervi quarti utriusque retrogrado ramo quodam ſibi invicem ob io nata, videretur, neque ullo modo ad valvulam ipſam pertinere. Cuius fabricae icones a me exaratas, ſi forte dabitur occaſio, edam.

*u*) Obſſ. anatom. edit. ALBINO-BOERH. p. 738.

deatur: adeo, ut mox hac ſtria altior, mox inferior prodeat, mox inferius, mox exterius prima, quae apparet, propago ſita ſit, neque ullo modo ad eam ferri videatur. Cujus ſententiae teſtem HALLERUM ſupra nominavi, qui alio loco *x*) fatetur, *exterius prodire, quam eſt transverſa ſtria, quae eos proceſſus conjungit.* *Nam plerisque*, inquit, (quos l. c. p. 74. *et magis ſollicitos* dicit) *certe in obſervationibus non inferiori loco natam ejus originem reperi, et ipſa commiſſura*, (quo vocabulo hanc ſtriam innuit) *multo hoc nervo craſſior eſt.* Nervum autem noſtrum una tantum radice ſemel et ſimul emergere, et ipſe ſaepenumero obſervavi, et annotarunt MORGAGNI, ZINN, AIMÉ MATHEI, HALLER; nec (uti in aliis nervorum paribus fieri videmus) fibrillis minoribus compoſitus, ſed totus continua medulla oculo non armato conſpiciebatur.

## §. 54.

Interdum nervus in altero latere ſimplici, in altero duplici radice prorumpit, ut egregie in ſiniſtro latere HALLERUS vidit et pinxit *y*): quod etiam ſuis obſervationibus AIMÉ MATHEI *z*) confirmavit; eoque caſu alteram longiorem, (ita ut paulo interius progrediatur) alteram vero breviorem eſſe, ab HALLERO *a*) jam annotatum legi; quae radiculae, obſervante ZINNIO, emenſo brevi ſpatio in unum adeo uniuntur truncum, ut in progreſſu eas amplius diſtinguere nequeas. Sed rarius, hoc etiam in caſu, alteram illarum radicum ex ipſa ea ſtria transverſa alba val-

*x*) Elem. phyſ. L. X. S. VI. §. 15. Tom. IV. p. 208.

*y*) Icon. anat. faſc. VII. tab. 3. arteriarum cerebri.

*z*) diſſ. cit. p. 53.

*a*) Elem. phyſ. T. IV. p. 208.

valvulae repetere poteris, quin potius utramque ipſi proceſſui cerebelli ad nates deberi, negari nequit.

Tribus ortum eſſe fibris, quanquam ipſe non viderim, facile tamen SANTORINI *b*) auctoritate credam. Eo minorem vero fidem verbis BIDLOI *c)* adhibendam eſſe opinor, dicentis: *non enarranda minutiſſimarum fibrularum turma radioſe diſperſa ſuboriri.* Neque injuſte me illum erroris accuſare, vel magis ea, quae de diviſione addidit, declarant: *alias enim*, pergit, *quandoque nonnullas oculo atque faciei praeter trochlearem muſculum communicare, parisque quinti vicem praeſtare videri.* Errorem hunc e VESALIO exſcripſiſſe BIDLOUM, jam HALLERO *d*) notatum eſt; hinc refutare illum merito ſuperſedemus. Cel. LEBER **)* relegandum eſſe opinatur ad nervos cerebelli, cui tamen ſoli illum deberi, non dixerim.

## §. 55.

Efformatus ſic vario ſatis modo nervus quartus, cui ſummam mollitiem ac teneritatem immerito, ut mihi videtur, tribuit LANCISIUS *e*), trunco ſuo ad nervi gloſſopharyngei magnitudinem proxime accedens, paulo tamen illo minor, gracillimum omnium encephali et medullae ſpinalis par conſtituit.

Quod

*b*) Obſſ. anat. p. 64.

*c*) Anat. h. c. centum et quinque tabb. per G. DE LAIRESSE ad vivum delineatis, Amſt. 1685. in explic. tab. 9.

*d*) de vera nervi intercoſt. origine.

**)* Vorleſungen üb. d. Zergliederungsk. Wien 1776. 8. p. 336.

*e*) l. c. de uſu glandularum.

Quod figuram ipſius attinet, taeniae ad inſtar planus, ſimulac ortus eſt, arteriae cerebelli ſuperioris ramis aliis incumbens, aliis ſuccumbens, ut iis quaſi implicitus videatur, deorſum pauloque retrorſum procedit, ita, ut planum eius alterum ſuperius, alterum inferius dici queat; tum hiatu vel ſulco quodam in cerebelli margine anteriori (in quo arteria cerebelli ſuperior aſcendens nervo noſtro deſcendenti occurrit) offenſo, plano ſuo inferiori primum illi parti crurum cerebri, quae proceſſus cerebelli ad nates vocatur, incumbit, deinde ad latera exteriora crurum, eo, quo pontem intrant, loco, delabens, ita quaſi ſenſim progrediendo circumflectitur, ut planum ſuperius transeat in inferius. Telae celluloſae ope, a qua vaginae in modum circumdatur, margini cerebelli anteriori plerumque adhaeret; tum quaſi ſejungitur a cerebello, in ea inflexionum vel, ſi mavis, lamellarum ejus regione, cui peculiare nomen *apicis* dedimus, (vide tab. II. D.) atque jam in baſi cerebri apparet; deinde ab exterioribus paulum ad interiora tendens, offendit nervum quinti paris, vix duarum linearum ab origine ſpatium emenſum, et cum eo laxioribus filis cohaeret, ita tamen, ut vel ſine cultro facillime ſeparari queat.

§. 56.

Hanc cohaeſionem in brutorum cerebris v. c. vitulorum, in ipſo utriusque nervi in durae matris hiatus ingreſſu longe arctiorem cauſae fuiſſe ſuſpicor, ut diverſa haec paria pro uno a veteribus haberentur. Sed ad humani cerebri fabricam redeamus.

§. 57.

## §. 57.

Tabula prima cohaeſionis hujus habitum optime declarat, quem ſi notum tibi reddere cupis, in eximendo cerebro caveas neceſſe eſt, ne, ruditer illud tractando, deſtruatur. Eodem vero loco filos nerveos communicare cum quinto, mihi non viſum eſt.

Jam denique nervus noſter longiſſima, pro gracilitate, inter omnes cerebrales, ſinuoſis flexibus, progreſſus via, ad paratum ſibi in dura matre hiatum, quo tendebat, pervenit.

# LIBRI TERTII

## SECTIO V.

## DE
## QUINTO PARE *).

### §. 58.

Nervi hujus, ad omnes, quotquot innotuerunt, ſenſus nonnihil conferentis deſcriptionem, cum praeſtantiſſimi ſaeculi noſtri inciſores fuſiorem abſolverint, ne actum agere quibusdam viderer, praetermittere forſan ſummo jure potuiſſem; attamen, ne hac in parte noſtrum opus defectu laboraret, breviter de illo agendum mihi eſſe exiſtimavi, ita ut iis, quae ad rem meam pertinere viderentur, ex optimorum libris excerptis proprias obſervationes ſubjungerem, quo plenior inde illius hiſtoria evaderet.

Antiquiorum vero temporum hunc in nervum locatam induſtriam qui notam ſibi reddere cupiat, is profecto gratiam habebit MECKELIO *a*), qui plurimam literaturae antiquioris partem tradidit.

### §. 59.

GALENUS par noſtrum, aliorum, ut ipſe fatetur, ſententiam ſecutus, in duo paria diſpeſcuit, quorum alterum ipſi *τρίτη συζυγία* vocatur, aliis *μαλακοτέρα* quam, quae oculos move-

at,

*) Quintum GALENI, VESALII aliorumque eſt par communicans faciei. cum auditorio conjunctum. Quintum AL. BENEDICTI eſt ramus buccinatorius et maſſetericus quinti MECKELII. Quintum NIC. MASSAE eſt ramus palatinus e ramo ſecundo quinti.

*a*) Diſſ. de quinto pare nervorum cerebri. ſect. I.

at, (i. e. tertium par noſtrum) dicebatur, alterum vero illo tempore quartum et durius (σκληροτέραν συζυγίαν) vel ζεῦγος γευσικὸν nominabant *b*); et alio loco *c*) addit, et *poſterius eſſe et magis a baſi venire, et tertio admiſceri*, (ἀναμίγνυσθαι) mox vero iterum ſegregari. *Tertium* vero ejus par eſt nervi quinti pars maxima, excepto tamen nervo palatino, e ramo ſecundo paris quinti enato, quem ad *quarti* paris dignitatem evexit. ALEX. BENEDICTUS *d*) ſub quarta et quinta ſyzygia noſtrum par comprehendit. NIC. MASSA unum hunc in quatuor diviſit nervos, ordines *quarti*, *quinti*, *ſexti* et *ſeptimi* paris occupantes. VESALIUS quatenus conſentiat GALENO, et quatenus ab illo recedat, docte expoſuit MECKEL *e*). FALLOPIUS *f*) expreſſis verbis contendit, quod alii pro gemino pari recenſent, ſe pro uno tantum enumerare, et *tertium* vocare; quae verba FALLOPII EUSTACHIUS g) egregie in figuris exprimens quaſi repetiit. ANDR. LAURENTIO *h*) *ſocietatem guſtatoriam* illius partem vocare placuit: idem etiam cum I. B. CORTESIO **)* par *tertium* et *quartum*, CASPAR. BAUHINUS *i*) par *tertium* et *quartum*, quod *nervos linguae ſenſificos* appellat, v. HORNE par quartum et quintum, et BLASIUS duo guſtatoria, alterum *tertium*, alterum *quartum* dictitans, ex illo fecerunt. Sed plerisque *tertium par*, omiſſo ſcilicet nervo olfactorio et quarto, ante WILLISIUM dicebatur, ita ut inſuper partem ejus ſepara-

*b*) de nervor. diſſect. cap. IV. et V. edit. Chart. p. 242.
*c*) de uſu part. L. IX. cap. IX.
*d*) cap. 19.
*e*) l. c. §. V.
*f*) Obſſ. anatom. p. 733.
g) tab. XVII. XVIII.
*h*) L. 4. cap. 17.
***) fig. 2. p. 20.
*i*) Theatr. anatom. p. 341.

pararent, quam mox in duo, mox in plura paria dividerent. Tandem WILLISIUS maxima cum laude juſtum illi locum vindicavit, praeſtantiſſimos anatomicorum adſtipulatores nactus. Nihilo tamen minus alii nervi *guſtatorii* nomen ſervabant; aliis vero magis placebat paris *diviſi* appellatio, partim quod e pluribus filamentis, in ipſa origine diviſis, conſtare ipſis videretur, partim quod dura matre ſuperata in permultos ſeſe ramos diffunderet; alii porro *anonymi k)* vel *innominati* nomen ipſi imponere amabant. *Trigeminum* illum, vel ut HEBENSTREIT *l)* vertit, *trimellum* (trijumeaux, à trois cordes) vocavit WINSLOW *m)*. Ill. WRISBERGIUS *n)* denique illum *ſympathetici medii* *) nomen mereri ſatis ſuperque ſtabilivit.

## §. 60.

Oritur autem, quantum et Ill. WRISBERGIO et mihi ipſi ſemper obſervare licuit, duabus diſtinctis portionibus, ante et ſupra nervum communicantem faciei, e proceſſu illo cerebelli, qui pons cerebelli vulgo nominatur, et quidem, ut egregie locum eum deſignavit Ill. CAMPER *o)*, non in media, ſed in exteriori et anteriori ejus partis regione, quam peculiari nomine pedunculi cerebelli ad pontem a ponte ipſo diſtinguunt, vel, quod idem eſt, ea ejus regione, ubi primum a cerebello pons iſte emerſus eſt.

Harum

*k)* ut apud EMAN. KOENIG Regn. animal. p. 149.

*l)* de baſi calvariae progr. 1738. Lipſ. p. XI.

*m)* Tome IV. nro. 140.

*n)* Obſervatt. anatom. de quinto pare nervorum encephali, et de nervis, qui ex eodem duram matrem ingredi falſo dicuntur. Cum tabula aenea. Goett. 1777. 4. et in Tom. VII. Nov. Comment. Reg. Societ. Goett.

*) quo nomine WINSLOWIO par ſeptimum venit.

*o)* Epiſt. ad ALBIN. in tab. annex. fig. 1. 5.

Harum portionum altera *major* longe et *poſterior*, minoribus et ſubtilioribus, interdum e crena quadam transverſa pedunculi cerebelli, quaſi propullulat fibris medullaribus, in ipſo ortus loco ob defectum forte piae matris adeo compreſſis, ut pulpae ſimilis vix fibras diſtinctas oſtendat, (quod etiam cauſae eſt cur ſemper in initio truncus anguſtior ſit, prouti et in tabulis repraeſentavi) quas vero diſtinctas fibras mox tenui membrana veſtitas non in trunco tantum, ſed et in primis paris iſtius ramis invenit MORGAGNI *p*), in faſcis, non vero in glomeraminis modum, ſtatim ac ſunt egreſſae, diſpoſitas. Craſſitiem et numerum fibrarum, e quibus major iſta portio componebatur, quantum quidem oculo detegere licebat, admodum inconſtantem eſſe, plerumque tamen ultra ſeptuaginta ad centum usque augeri, et plerumque, quod annotavit Ill. Praeceptor, in 19 ad 28, vel in adultis in 36 ad 44 faſciculos comprehenſas fuiſſe, reperi. Singulas autem perquirens, fibram inter illas tantae magnitudinis invenire nunquam potui, quantam ſaepius in altera, quamvis minori, portione obſervavi. Sed in infantibus ſemper illam fibris, et quidem paucioribus, quam in portione anteriori aderant, conſtare, nec unquam easdem, antequam duram matrem ſubeant, tam arcte, ut in nervo optico, in unum truncum compactas eſſe, ſed ſemper laxius quodammodo cohaerere, et ill. WRISBERG et ipſe pluries vidimus. Attamen ingenue mihi fatendum eſt, me ſemper numerum fibrarum, e quibus portio major componitur, in foetibus minorem quam in adultis reperiiſſe, quod etiam Ill. WRISBERG annotavit. Eadem portio interdum in adultis in dextro latere major ac in ſiniſtro,

*p*) Adverſ. anat. ſexta, animadv. XXI. p. 206.

ſtro, in infantibus vero aequalis utrobique apparebat; cujus obſervationis teſtem etiam habeo Ill. Praeceptorem, qui frequentiſſime in adultis eam in ſiniſtro latere minorem invenit.

## §. 61.

Altera vero portio minor et anterior, cujus ab altera ſeparationem, WRISBERGIO, inciſori ſummo, debemus, interdum arteriola ſeparata a majori, ſemper autem directione, magnitudine et craſſitie (an etiam mollitie, dijudicare adhuc non valeo) fibrarum ab eadem diſcrepans, oritur tribus *q*), ſex vel pluribus fibris magnitudine admodum diverſis, intercedente parva quadam pontis lingula, quartam vel dimidiam lineae geometricae partem latitudine aequante, ex obſervationibus Ill. Praeceptoris, paulo ante et etiam ſupra portionem majorem, adeo ut elatior quodammodo ab exterioribus ad poſteriora deſcendendo feratur; et alteri *majori* leniter a poſterioribus et oblique ad exteriora vergenti adponitur, laxiori tela, manente tamen hiatu utramque portionem diſtinguente, illi juncta. Diſtinctas has portiones, quas ſemper pari modo in adultis ut in infantulis me obſervare memini, et inter quas varie vaſcula ludunt, ſitu naturali, ex adulto deſumtas, exhibet tabula prima; easdem in tabulá ſecunda, cujus archetypus adhuc integer conſervatur, paulum remotas, ut fibrarum diſſitarum habitus et intercedens lingula pontis, qua illae diſtinguuntur, elucerent, repraeſentavi.

Hae

*q*) Ea enim, quae NEUBAUER, Deſcr. an. nervorum cardiacorum, p. 20. habet: ſcil. unicam, ſed longe craſſiorem mollioremque ſemel ſe viſſe fibram, quae ſine dubio portio minor fuit, me obſervare non memini.

Hae ſimul ſumtae portiones maximum *), ovale potius quam teres nervorum par conſtituunt, (etenim has, quamvis ſemper diſtinctas, portiones pro duobus paribus venditare non ſuſtineam) vel ſi nervum opticum conſtare dicas fibris magis compactis, quae ſi laxius cohaererent, ampliorem illum, et magnitudine quinto fere ſuperiorem redderent, nervum quintum aequalem eſſe optico non repugnem.

Neque hoc loco praeterire fas erit SANTORINI, quamvis propriis obſervationibus mihi non confirmatam *r*), opinionem, ſcilicet, a cruribus medullae oblongatae (pedunculis cerebri aliis, proceſſibus cerebri medullaribus mihi dictis) oriri; *ea crura*, enim inquit, *ſi, priusquam annularem ſubeant protuberantiam, dimetiantur, multo quidem craſſiora comperientur, atque cum ab ea emerſere. Quod profecto argumento eſt, integra ea non dimitti, ſed quidpiam in eo trajectu conſpicuum ab iis decedere.* Tribus praeterea faſciculis enaſci, idem tradidit. *)

## §. 62.

Sed merito nos hanc in duas portiones diſtinctionem Ill. Praeceptori WRISBERGIO tribuiſſe, haec fere demonſtrabunt. Fibras hujus paris molliores et duriores diſtinxerunt quidem GALENUS *s*), FALLOPIUS *t*), VIEUSSENS *u*), RIDLEY *x*): ſed eosdem viros portiones noſtras iſtis verbis ſignificaſſe, negare

*) Sic et HALLER Elem. phyſ. T. 4. p 209. *grandiſſimum par* vocat.

*r*) Neque confirmarunt MECKEL l. c. S 2. p. 19. not. v. NEUBAUER l. c. Sect. l. §. 2. not. 4. WRISBERG l. c. p. 7. not. e.

*) Obſſ. anat. p. 66.

*s*) de nervor. diſſect. c. 4.

*t*) Obſſ. anatom. p. 733.

*u*) pag. 169.

*x*) pag. 46.

gare non dubito. Multo minus VESALIUS *y*), *e duabus radicibus invicem diſtantibus utrinque enaſci par tertium* (quintum noſtrum) dicens, eas innuit; etenim quartum noſtrum par et quinti partem conjunxit. Neque VIEUSSENIUS, *interdum* par noſtrum, dicens, *juxta ipſam originem in duos truncos diviſum, craſſa meninge inveſtiri*, inventor haberi poteſt: ejus enim verba WILLISII aſſertis *z*) ſimillima, dicentis, *truncum quinti ſtatim dirimi in duos ramos;* ſimplici autem trunco e ponte prodiens pingitur: quocirca arbitror VIEUSSENIUM indicare voluiſſe, ex ipſa origine in duos ramos diviſum hoc par eſſe. Neque RAVIUS, WILLISIO forte uſus, *duplici* illum *radice oriri*, tradens, illas obſervaſſe videtur; tota enim ejus nevrologia *a*) vix ſubtiliorem inciſorem prodit. In COWPERI, WILLISII, DUVERNEY, RUYSCHII et HALLERI tabulis baſeos encephali, quas ſigillatim ſupra **)* recenſui, nullam hujus portionis habitam eſſe rationem, ipſe annotavit Ill. WRISBERG *b*). Vidit eam quidem NEUBAUER *c*), ſed quo minus ipſi tribui poſſit in duas portiones ſeparatio, ipſius verba obſtant; *fibras enim*, inquit, *eius ſaepiſſime in unum, rarius in duos vel plures faſciculos compingi*; in quo caeterum conſentire videtur MECKELIO *d*), *ſaepius in unum truncum colligi*, dicenti.

In

*y*) Epitome de C. H. fabrica cap. V. edit. ALB. BOERH. p. 592.

*z*) in explic. fig. 2. HH, quae baſin ovinam ſiſtit.

*a*) annexa B. S. VALENTINI Theatro zootomico.

**)*) pag. 28. 29.

*b*) Comment. cit. p. 7. not. e.

*c*) l. c. p. 20. confer, quae pag. 134. not. q) diximus.

*d*) diſſ. cit. in fine §. XXI. p. 20.

In figura denique Ill. COTUNNI *e*), quae partem capitis offium, cui incumbit baſis encephali, repraeſentat, diſtinctus quidem noſter in duas partes quodammodo pingitur, ſed an portionem majorem et minorem exprimere voluerit pictor, dubito; harum enim portionum ratio inter ſe longe alia ſolet eſſe, ac ibi quidem exhibetur.

*e*) Diſſ. anat. de aquaeductibus auris humanae intern. Neapoli 1760. recuſa in theſauro Sandifortiano T. I. Imo et Viennae 1774. 8. Tab. II. cc.

# LIBRI TERTII

## SECTIO VI.

## PAR SEXTUM *).

### §. 63.

Equidem a veteribus hunc nervum ad quintum noſtrum relatum eſſe non miror, cum ipſe paulo progredientem ſub dura matre in vitulino capite arcte, et in humano laxius cohaerere illi viderim;

Vesalio bene intelligenti et expreſſis verbis indicanti ſeparatum par eſſe *a*), huic pari nomen *nervi non procul a quinti paris* (i. e. ſeptimi noſtri) *principio enati*, vel *radicis gracilioris quinti* imponere placuit, quem multi ſecuti ſunt, jam animadvertente in ſcriptis Fallopio, qui *quartum* vocat. Pro diſtincto pari habet I. B. Cortesius *b*), Vesalium reprehendens, qui nervum noſtrum quinto pari (ſeptimo recentiorum) accenſet. Casp. Bauhinus *c*) diſtinctam eſſe conjugationem intelligens, ne aliorum ordinem interrumperet, par *octavum* vocat, ſimul monens, ante ſeptimum noſtrum collocandum fuiſſe. Alii *timidum*, neque id incongrue, ſecundum Bidloi ſententiam, nominant. Alii ſimpliciter *par abducens*, alii, et inter hos Verheyen, *guſtatorium*, alii, ut Em. Koenig *c**), nimis generaliter *par oculis proſpiciens* appellant. Winslow illum *moto-*

*) Plerique veterum par vagum ſexti nomine inſignie-bant: ſextus Molinetti eſt par quartum noſtrum.

*a*) de corp. hum. fabrica Lib. IV. cap. VIII. p. 521.

*b*) Decad. I. fig. 2. nn.

*c*) Theat. anat. L. III. c. 23. pag. 346.

c*) Regnum animale in quo Chirac nevrologiam tradit.

*motorium externum*, *oculo muſcularem externum*, vel *ocularem externum* nominat. Ridiculo plane errore *guſtatorium alterum* ao. 1741. PETRIOLI *d*) ſeu *par ſextum* vocat, nec tamen dicere veretur, ipſos oculos invadere. Turpi errore BACCHETONUM cum veteribus ad palatum deducere, jam annotavit HALLER *e*).

## §. 64.

Nervum noſtrum ab ima medullae oblongatae baſi oriri, egregie, ſi bruta ſpectes, ſcribit WILLIS *f*), in figura vero unice e ponte prodiens pingitur. Cujus viri ſententiae noſtra aetate adſtipulantur MORGAGNI g), ill. LIEUTAUD *h*), HEUERMANN *i*), ZINN *k*) et CAMPER *l*); qui ex corporibus pyramidalibus, quod idem fere eſt, oriri tradunt. SANTORINI incertus haeret, an fibram ex corp. pyram. prodeuntem viderit.

E ponte progredi putant VIEUSSENS *m*), RIDLEY, SANTORINI *n*) et quidem triplici ſurculo, ZINNIUS, COOPMANNS *o*), qui ne unam quidem fibrillam e corporibus pyramidalibus oriundam armato oculo obſervavit.

Alii vero, mediam quaſi ſententiam amplexi, dixerunt, a protuberantiae annularis et corporum pyramidal. finibus oriri, ut

*d*) Nam nervum quintum *guſtatorium primum* dicit in explic. tabb. BERRETTINI Tom. XVI. figur. VI.
*e*) de vera nervi intercoſt. origine.
*f*) l. c. p. 5.
*g*) Epiſt. anat. p. 222.
*h*) Eſſais anatomiques, Paris 1766. p. 348.
*i*) p. 251.
*k*) p. 100.
*l*) referente COOPMANNS p. 114. ex ſolis corporibus pyramidal.
*m*) p. 176.
*n*) p. 66.
*o*) l. c. p. 114.

ut ZINN; cui ſententiae, quae neque ponti ſoli, neque corporibus pyramidalibus ſolis iſtud par tribuit, et VIEUSSENIUM adſtipulari credam, ex ſulco inter corp. pyram. et pontem, vel ex utrisque ſimul hunc nervum derivantem.

Inconſtantem et ſatis variam ejus originem eſſe jam ZINNIUS annotavit, et quae modo dixi, demonſtrant; frequentiſſime vero e ſulco illo inter pontem et medullam oblongatam eundem oriri, mihi viſum eſt. Quare autem, ZINNIO annotante, inprimis in adultis, diverſi utriusque lateris nervi animadvertantur, explicare vix auſim.

## §. 65.

Enaſcitur vero hocce par, mea ſententia, ex corporibus pyramidalibus potius, quam ex ponte, uti forſan inſpectis tabulis credere quis poſſet. Etenim credo, hunc nervum, ſaltim ejus portionem majorem ſimiliter ac nervum tertium, quocum munere convenit, a cruribus cerebri produci; haec enim, uti in deſcriptione baſeos cerebri luculenter ſatis demonſtravimus, per pontem penetrantia, vix ex illo emerſa, nervum noſtrum emittere arbitror, tum vero in corpora pyramidalia degenerare. Sententiae meae favent primo: aliorum, quos ſupra nominavi, anatomicorum obſervationes*), qui in cerebris humanis nervum, cujus origines jam deſcribo, e corporibus pyramidalibus ipſis prodeuntem viderunt; ſecundo: in animalium encephalis

*) Sic et MORGAGNI in quinque capitibus obſervavit, par ſextum manifeſtiſſime e corporibus pyramidalibus enaſci. Epiſt. anat. XVI. art. 47. p. 329. et ill. CAMPER l. c.

cephalis fere nunquam aliunde nisi ex corporibus pyramidalibus solis origines filamentosas petit. Corpora pyramidalia vero crurum cerebri pontem transeuntium productiones veras dici posse, minime dubitandum est. Interea pontis peculiarem substantiam non nihil ad nervi nostri generationem conferre, non negaverim.

In ortu ejus, ob arctam telae cellulosae conjunctionem, interdum vix ac ne vix quidem distincta filamenta, quae radices dicere possis, conspicies, secus ac in brutorum encephalis, quae in hujus nervi originibus longissime ab humanis recedunt; sed semel et simul a sede sua prorumpit; unum tamen fibrarum nervearum fasciculum, qui maxime internus et nonnunquam simul altero paulo superior est, ut *quasi* ex ponte prodire videatur, quemque *portionem alteram minorem nervi sexti paris* nominabo, jam in ipso ortu ab altera, quae longe crassior est, et multo pluribus componi videtur fibrillis, insigniter separatum esse videbis. Harum duarum portionum vestigia apud Vieussenium reperies, qui nervum nostrum in duos ramos divisum ex ipso ortu esse indicat. In infantulis pari modo ac in adultis hanc divisionem observavi. Caeterum semper fere sub originem ei succumbere arteriam cerebelli inferiorem, vel alium insigniorem arteriae basilaris ramum invenies.

## §. 66.

In eo varietas est, quod I.) mox propior, adeo ut ex mediis fere corporibus pyramidalibus educi videatur, mox paulo remotior a corporibus pyramidalibus sit; II.) mox ad pontem, mox

ad corpora pyramidalia magis accedat: III.) mox arteriam *cerebelli inferiorem* ſubeat, mox illa ſuperior ſit: Neque IV.) hoc raro accidere ſolet, ut dexter nervus in eodem ſubjecto diſtet in origine a ſiniſtro; cujus rei et ZINNIUM teſtem allegare poſſum. Ita et in tabula I. noſtra ſe habet par ſextum, in qua alter nervus corpori pyramidali propior, alter remotior. V.) Porro in eodem ſubjecto in portione majori, pro laterum diverſitate, varium etiam (quod fere absque ullo cultri auxilio apparet) radicum numerum invenies. VI.) Interdum fibrae, e quibus portio major conflatur, ita a ſe invicem per totum truncum ſeparatae incedunt, ut in receptaculo demum uniantur. VII.) Interdum ante ingreſſum in duram matrem portio minor concreſcit cum majori; VIII.) Interdum hoc uno tantum fit in latere: ita in cadavere tab. I. in nervo ſiniſtro rem ſe habere, videbis. IX.) Interdum portio minor in ipſa origine tertia fere parte lineae remota erat ab altera et quidem uno tantum in latere. X.) Interdum, obſervante ZINNIO *p*): in altero latere ortus fuit duobus furculis, quorum interior minor erumpebat ex ponte VAROLII ad lineae ſpatium ante illius finem, exterior major ex eodem ponte ſed poſterius proxime ad ortum corporum pyramidalium. In altero latere origo fuit multis inter ſe diſtinctis fibris, quarum intimae ex ponte ortae ad duas fere lineas ante illius finem, exteriores adhuc ex ponte quidem, ſed quo exteriores eo poſteriores, ut poſtremae ex ipſo angulo inter pontem et corpora pyramidalia, et nonnullae ex ipſis corporibus pyramidalibus advenirent. XI.) Ill. LIEUTAUD nervum noſtrum duplicem in unoquoque latere obſervavit, quo in caſu, ut addit HEUERMANN *q*), etiam per duplex durae matris foramen tranſit.

*p*) pag. 200.

*q*) l. c. p. 25.

tranſit. Forte vero ill. LIEUTAUD duas mihi dictas portiones pro nervo duplici habuit, inprimis cum dicat *ſaepe* duplicem eſſe *q**), attamen non pertinaciter negaverim, vere duplicem adfuiſſe. XII.) Semel in ſiniſtro latere tantum portio major ab altera per arteriam cerebelli inferiorem ſejungebatur, in dextro enim latere plerumque haec arteria longe infra origines nervi noſtri ex ipſa arteria vertebrali naſcitur †). XIII.) Interdum in uno latere omnino ſimplici fibra oriri obſervavit MORGAGNI (Epiſt. anat. XVI. art. 47.). XIV. Interdum tribus furculis prodit. Caeterum rariſſime in utroque latere unico foramine duram matrem perforare, Ill. HUBER *) annotavit.

## §. 67.

In RIDLEYUM dicentem, *nervi circiter tertii magnitudinem habere*, animadvertit SANTORINUS *r*), quod illud par juſto craſſius feciſſet, contendens, *ſe hujus certe duplum tertium par obſervare conſueviſſe.* Simile vitium pictor tabulae RUYSCHII commiſit, adeo enim craſſus in hoc e puero X. annorum deſumto cerebro apparet, ut magnitudinem tertii aequet. Hinc VIEUSSENIUS recte dixit, ſolo *quarto* majus eſſe. Sin mea quid valeant, craſſitiei ratione habita, nervum noſtrum inter *communicantem faciei*, qui durus vocatur, et *gloſſopharyngeum* ponerem, cum illo minor, hoc major reperiatur.

Omnium porro taeniae inſtar maxime planum eſſe, et ſub originem ponti adhaerere ope telae celluloſae, obſervatio frequens me

q*) l. c. p. 348.

†) in HALLERI Iconum, faſcic. VII. tab. I. quae vaſa baſeos cerebri repraeſentat, omnia inverſa picta ſunt, quod explicationem cum tabula ipſa conferenti facile patebit; quae enim in explicatione dextra dicuntur in tabula ſiniſtram regionem occupant.

*) Epiſt. de nervo intercoſtali &c. ad W. WIGAND. Gott. 1744. p. 9.

*r*) p. 66.

me docuit, et quantum memini ſemper in duas portiones *majorem externam*, et *minorem internam* diſtinctum in utroque latere, in homine (et brutis) reperi.

Ex dictis patebit, par tertium, quartum et ſextum in eo convenire, ut ſub originem vicinas arteriarum cerebri maximarum majores ramos habeant.

LIBRI

# LIBRI TERTII

## SECTIO VII.

## DE
## NERVO COMMUNICANTE FACIEI
## VEL
## PARI SEPTIMO *).

### §. 68.

De hoc priusquam ſcribamus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne *ſeptimi* paris nomine nos nervum auditorium cum pari duro (quod cum ill. *Praeceptore* communicans faciei appellare amo) junctum comprehendere arbitrentur. Etenim, cum jam antiquiſſimis temporibus nota fuerit horum parium diſtinctio, humani corporis fabrica inſuper conſentanea, conjungere ea, quae natura ſeparavit, nefas duximus. Majores vero omnes fere MARINUM ſecuti, par communicans faciei, cum auditorio immerito profecto in unum conflatum, *quinti conjugii* nomine inſigniverunt, quod WILLISIUS, nervo olfactorio et quarto non ſolum in nervorum numerum receptis, ſed et juſto loco poſitis, neglecta tamen communicantis faciei ab auditorio ſeparatione, *ſeptimi* nomine commutavit. Idem vero alii, v. c. ALEX. BENEDICTUS, *ſecundum*, CAROL. STEPHANUS *quartum*, v. HORNE *ſextum* par dictitarunt. Sed quo jure duumviri illi,

*) *Septimum* a MARINO usque ad WILLISIUM par linguale medium ſignificat, WILLISIO autem placuit, diſtincta paria, quae Libri III. Sect. VII. et VIII. continent, in ſuum *ſeptimum* conflare. Septimum ALEX. BENEDICTO par vagum, NIC. MASSAE nervus lingualis e quinto noſtro dicitur.

illi, quorum auctoritatem omnis fere anatomicorum cohors ſequuta eſt, MARINUS et WILLIS, par noſtrum cum auditorio conflarint, jam diſpiciendum. Principio, ut maximum, (revera autem leviſſimum) quo conjunctionem ſtabilire nituntur, argumentum removeamus, quod nimirum *ambo eandem durae membranae vaginam et canalem communem nervorum auditus in oſſe petroſo intrent*, num inde conſequitur, paria illa in canali commiſceri? caeterum in nervorum paribus diſtinguendis ridiculum eſſe foramina oſſium capitis attendere, jam FALLOPIUS *a*) annotavit. Deinde, quod tela celluloſa laxiori ſub ortum fere cohaereant duo haec paria, non tanti eſt aeſtimandum, ut inde veram nervorum unionem exſpectemus. Nonne eodem jure nervus ſympathicus maximus, gloſſopharyngeus, octavus et nonus, tela longe tenaciore arctius connexi, pro uno trunco habendi eſſent? Nec etiam verum eſt majorum auctoritatem noſtra ſententia laedi; multis enim abhinc annis viros egregios paria haec ſeparaſſe, ſtatim docebimus: et ſi concedamus, omnium, qui hucdum res anatomicas tractaverunt, aſſertis noſtram ſententiam repugnare, nonne naturam potius quam anatomicorum placita ſequi nos oportebit?

## §. 69.

Dudum autem GALENUS, diſtinguendum eſſe par noſtrum, callide perſpexit; *non enim*, inquit, *haec conjugatio, ſi accuratius rem ſpectes, una radice ſed originibus propinquis tantum gaudet*; (ſic enim verba, ἐκ ἑκ μιᾶς ἀκριβῶς ῥίζης ἀνίσχουσαν, ἀλλ' εἰσὶ μεν πλησίον ἀλλήλων *b*), verti mallem) et ne cuiquam dubium ſupereſſe

*a*) Obſſ. anat. p. 733.
*b*) de nervorum diſſ. c. VI. edit. Chart. T. IV. p. 243. quem locum integrum verbotenus e GALENO repetiit ORIBASIUS l. c. edit. Dundaſſ. p. 264.

esse possit, illum hisce verbis indicaturum voluisse, nervum communicantem faciei distinguendum esse ab auditorio, κείσθω γὰρ, addit, εἶναι μία διὰ Μαρῖνον, εἰ καὶ διττὴ φανερῶς ἐστιν. Nihilominus tamen dubitavit MORGAGNI *c*), an constanter illas ex ipsis usque cerebri lateribus geminas utrinque exire, nec potius in ipso per ossa transitu uno ex nervo ceu duos ramos prodire, voluerit GALENUS, cum alio loco, *dividi in ipso per ossa transitu hanc conjugationem in duas partes, ipsamque bifidam* (δίοδον) *fieri*, docuerit; quae vero verba facilius cum illis, quae modo retuli, conciliari posse mihi videntur, cum ibi aperte de origine, hic vero de transitu et itinere potius ipsi sermo sit. FALLOPIUS, de nervo nostro agens, *neque ulla ratione*, inquit, *videtur pars mollis* (i. e. auditorii) *dicti, sed revera distinctus est nervus d*). Eadem verbotenus tradidit discipulus ejus V. COITER *d**), suisque observationibus, multoties institutis, confirmavit. VESALIUS *e*) quidem, erroris FALLOPIUM accusans, discrimen illud inter mollem et durum se non observasse, perhibet, sed dum examen observationum FALLOPII scriberet, jam erat ab incisionibus remotior. Mollem etiam a duro, GALENI verbis inhaerens, separavit I. PH. INGRASSIAS *f*). Neque non VIDUS VIDIUS *g*), multum Fallopianis inventis usus, duplicem eam conjugationem deprehendi, ita ut plura paria numerari possint, annotavit. In EUSTACHII tabulis adeo separatus ab auditorio pictus est nervus communicans faciei, ut illarum interpres LANCISIUS *h*), eum ita pinxisse, *ut quasi distinctis nervis distribui videre-*

*c*) Epist. anat. XI. art. 27. p. 128.
*d*) Obss. anat. p. 736.
*d**) l. p. 109. not. e) cit. p. 104.
*e*) Exam. obss. FALLOP. in ejus opp. a BOERH. ed. p. 804.
*f*) in GALENI librum de ossibus commentaria. Panormi 1603. fol.
*g*) L. 3. c. 2. p. 79.
*h*) in expl. tab. EUSTACH.

*deretur*, dixerit; ipſe vero EUSTACHIUS in libro, *de auditus organis i*), *quintum*, inquit, *nervorum cerebri jugum ex duobus tantum nervis, ut alii k) arbitrantur, minime conſtat, ſed duas utrinque propagines habet*, cet. Paſſim et alii, in quibus ADR. SPIGELIUS, dixerunt, hoc par duobus enaſci nervis, quos *diſtinctos* vocandos eſſe, alii addiderunt, FALLOPIO auctore uſi, v. c. VESLING, qui ob diſtinctas, quamvis propinquas, origines, et quod ad diverſa organa ferantur, ſeparandos eſſe illos cenſuit; quem etiam verbotenus ſequuti ſunt MUNNICKS *l*) et MARCHETTIS *m*). Nihilominus autem a plerisque ſub pare quinto usque ad WILLISII tempora comprehendebantur, qui (quod mirum) quamvis FALLOPII ſupra allegata dicta verbotenus repetiat *n*), ſeparare tamen illos non eſt auſus. Eadem fere et COWPER *o*). BIDLOO *p*) vero ridiculo errore illos in figura omiſit, et fibris paris vagi quibusdam nomen paris duri et mollis dedit, in quem etiam ideo animadvertit COWPER *q*). Contrario vitio PETRIOLI *r*) par durum et molle pro vago venditavit. Porro et COLLINS *s*) nervum durum diſtinctum par dixit; nec eandem ſententiam non foviſſe videntur VALSALVA *t*), ejusque commentator praeſtantiſſimus MORGAGNI *u*) et HENCKEL *v*). Duobus etiam nervis fieri par ſeptimum, quorum

*i*) p. 159. in edit. opuſc. Veneta.

*k*) quibus MARINUM, VESALIUM et COLUMBUM indicari, exiſtimavit MARTINIUS in commentar. in B. EUSTACH. tabb. anat. p. 190.

*l*) de re anat. liber. Traj. ad Rh. 1697. 8. p. 173.

*m*) p. 208.

*n*) Anat. cerebri. Edit. opp. omn. Genev. 1676. 4. p. 116.

*o*) l. p. 29. not. m) cit.

*p*) ibid.

*q*) ibid.

*r*) in explic. tabb. BERRETINI tab. XXI. fig. 3. etenim O eſt par durum et molle, non, ut putat, *vagum*.

*s*) loc. p. 29. cit. p. 1049.

*t*) de aure hum. cap. III. p. 54.

*u*) Epiſt. anat. XII. art. 40. pag. 128.

*v*) Epiſt. gratul. pag. 98. not. z) citata.

rum indoles diverſa et quos nusquam natura commiſcuit, annotat HALLER *x*), quamvis in pictura baſeos encephali, cuius ſupra *y*) mentionem feci, in latere dextro communicans faciei ſit praeterviſus; nec non MECKELIUS Pater *z*) *mollem filo a duro ſeparato oriri*, obſervavit, et pingi curavit.

Sufficiant haec aliorum teſtimonia, e quibus ſatis profecto elucebit, nervum noſtrum immerito cum auditorio in unum par conjungi.

## §. 70.

Etenim, prouti ſemper I.) ortu diſtant, ſic II.) nullibi etiam coëunt, ſed unusquisque, alteri tantum contiguus, ab altero facillimo negotio ſeparari poteſt. III.) Communicans faciei a primordiis usque ad finem ſubſtantia ab auditorio adeo differt, ut ab illo tempore, quo primum innotuerunt, diverſitatem hancce annotatam reperias, nervique mollis ac duri nomina pari gaudeant antiquitatis jure ac nomen quintae ſyzygiae, quo nervi iſti comprehendebantur. IV.) In omnibus, quotquot ſecui, quadrupedibus ita ſe habere, reperi. V.) Munere etiam differunt; alter enim mere ſenſorius, alterius vero cum aure interna nullas eſſe partes et Ill. COTUNNI *) ſententia eſt. VI.) Nec pathologicis argumentis eandem rem illuſtrari invenies; eam enim ſympathiam, quam perpetuo exemplo inter truncum et

*x*) Elem. phyſ. T. IV. p. 225. et ibid. p. 296. repetit, nusquam durum cum molli miſceri.

*y*) p. 29.

*z*) Mem. de Berlin 1765. p. 99.

*) de aquaeduct. auris hum. in fine §i XXIII.

et ramos reperimus, vix inter nervum communicantem faciei et auditorium insignem observabis, magno argumento, immerito pro ramis e trunco communi quodam (quem par quintum vel septimum vocabant) ortis Majores nostros venditasse par communicans faciei et auditorium.

## §. 71.

Oritur autem nervus communicans faciei, vulgo *portio dura nervi acustici*, vel simpliciter nervus *durus* (non quod crederent, praeceteris paribus duriorem esse, sed quod vicino nervo auditorio durior reperiretur) nec etiam inepte *sympathicus parvus* a WINSLOWIO *a*) dictus, in limite posteriore pontis cum processibus cerebelli in medullam spinalem confluentis, inter nervum sextum, a quo aliquot lineolarum spatio distat, et auditorium, a quo vix linea separatur. Nec vero late dispersis fibris, uti mos est nervorum medullae spinalis, sed ex pontis substantia non nisi stria parum elevata prodit, ita ut ultima illius origo in margine posteriore pontis fere evanescat. Tum, ut videtur, sub pia matre a posterioribus oblique ad exteriora pergendo, adaucta radix, aliquot lineolarum spatio emenso, in truncum abit, qui pia matre circumdatus e pontis substantia mox egreditur, crassitie, qua vicino molli longe cedit, lingualem medium fere exaequans. Tum ulterius oblique versus exteriora procedens offendit nervum auditorium, in quem quasi recipitur, et cui tela cellulosa laxius alligatus adhaeret; vel, ut EUSTACHIUS primus observavit, *auditorius sive mollis secundum longitudinem instar semi-*

*a*) Tome III, Traité des nerfs nro. 83.

*ſemicirculi eleganter excavatur*, *minoremque* (nervum ſcilicet communicantem faciei) *quod alios fugit*, *amice ſuſcipit et amplectitur b*); vel, ut ſaepius fere obſervare ſolitus ſum, interſtitio quodam inter duas tresve (ut MORGAGNI *c*) etiam annotavit) craſſiores paris auditorii fibras relicto, excipitur. Caeterum hac in cohaeſione per nervulos coire haec diſtincta paria hucdum non reperi. Idem porro truncus communicantis faciei ſub originem planior, mox rotundior redditus, progrediendo ſaltim durior pari auditorio fieri videtur, uti etiam in ipſo jam ortu longe durior illo reperitur.

## §. 72.

Interdum ſub originem fere in plura filamenta fiſſus, interdum duobus inprimis diſtinctis ramis truncus conſtruitur, qui oblique extrorſum modo ſupra deſcripto cum auditorio junctus, et vagina durae matris tectus, os petroſum tranſit.

Arteriolam accipit peculiarem ſaepe e trunco arteriae baſilaris, vel arteriae cerebelli inferioris ramulum, qui proprie labyrintho et nervo auditorio dicatus, furculos etiam ad nervum noſtrum ſpargit.

### *De portione inter par communicans faciei et auditorium media* WRISBERGII.

## §. 73.

Saepe miratus ſum, qui fieri potuerit, ut, cum tanta ſubtilitate et dexteritate cerebri nervorumque hiſtoriam tractarint, nervu-

*b*) de auditus organis p. 159. *c*) l. c.

nervulorum vel nervi, cujus originem descripturus sum, nulla, quantum memini, fieret mentio, multo minus in figuris exprimeretur; quocirca totam hujus inventi laudem Ill. Praeceptori WRISBERGIO deberi, affirmare non vereor, quem saepius (per quatuor enim hyemes illius doctrina frui mihi contigit) in demonstrationibus publicis illos demonstrare et exponere memini.

§. 74.

In limite enim pontis posteriore inter nervi communicantis faciei et auditorii radices, e spatio illos intercedente orti in utroque latere perpetuo inveniuntur nervuli, qui an alterutri pari communes sint, an vero ad communicantem faciei unice pertineant, exponere hujus non est loci, cum in opere illo, quod sub finem sectionis secundae hujus libri memoravi, ab inventore ipso optime descriptae exstent; eorum vero primordia ut hic exponerem, benevole concessit idem *Praeceptor dilectissimus*.

§. 75.

Numero et loco maxime quidem variare, perpetuo tamen ab utroque pari separatam esse hanc portionem, inquirenti facile patebit, mox enim inferius duabus fibris ex ipsis medullae spinalis primordiis, eo loco, quo cum margine posteriore pontis confluunt, prope nervum glossopharyngeum emergunt, quibus tertia vel quarta quaedam a ponte ipso accedit; mox tribus, quatuor vel quinque subtilibus admodum fibris in margine posteriore pontis ita prodeunt, ut affirmare certo nequeas, an a ponte, an vero a medulla spinali veniant; interdum radices adeo altas agunt, ut e ponte ipso sine dubio propullulare videantur; interdum

dum duabus ſolito craſſioribus radicibus, interdum tenuioribus conſtruuntur; ſemper vero alia ac nervum communicantem faciei ratione oriri illas animadverti; etenim hic non diſperſis propaginibus, ſed toto quaſi trunco ſimul e ponte enaſcitur, hi autem nervuli in origine a ſe invicem diſſiti reperiuntur.

Quocunque vero modo enatae hae radices, et ductum fere nervi communicantis faciei ſequentes, aliquot linearum magnitudinem adeptae, in duo unumve trunculum quarto pari inferiorem coaleſcunt, cui *portionis inter nervum communicantem faciei et auditorium intermediae*, vel ſi mavis, *fibrarum inter durum et mollem intermediarum* nomen imponere non ineptum videtur.

Easdem et in infantibus, et in cerebris, quorum vaſa, quantum fieri poſſet, vel ſanguine vel arte repleta erant, reperi, tabulisque etiam, uti ſaepius in cadaveribus a me obſervatum eſt, diverſas in alterutro latere, ſaepius tamen in dextro numero et craſſitie potiores exhibui.

# LIBRI TERTII

## SECTIO VIII. ET ULTIMA.

## DE NERVO AUDITORIO.

### §. 76.

Pleraque, quae ad literaturam hujus conjugii pertinent, in paris ſeptimi ſive communicantis faciei hiſtoria abſolvi, ibique a MARINO ad WILLISIUM in paris *quinti*, a WILLISIO vero ad noſtra tempora in paris *ſeptimi* hiſtoria quaerendum eſſe, annotavi, inciſorum praeterea, qui illud a pari communicante faciei diſtingui debere indicarunt, nominibus adjunctis. Plerisque *acuſticus*, ἀκουστικὸς *a*), *auditivus* MAGNO HUNDT, aliis κατ' ἐξοχὴν *mollis* vocabatur. Eundem FALLOPIUS *b*) *auditorium* appellavit, quod nomen retinere fas duxi. Contigit autem huic nervo, ut ſummi artis noſtrae Viri in illo inprimis inveſtigando deſudarent, in quibus nominaſſe ſufficiat EUSTACHIUM *c*), DUVERNEY *d*), VALSALVAM *e*), CASSEBOHMIUM *f*), MORGAGNI *g*), Ill. COTUNNI *h*), MECKELIUM patrem, qui more ſolito praeſtantiſſime de ejus origine in cerebris inſanorum obſervata egit *i*), et Cl. MECKELIUM filium *k*), ut alios non

*a*) GALEN. de uſu part. Lib. 9. c. 10. pag. 518.
*b*) Obſſ. anat. p. 736.
*c*) de auditus organis 1562.
*d*) Traité de l'Ouie. 1683.
*e*) de aure hum. tractatus. 1704.
*f*) Tractatu quinto de aure hum. Halae Magdeb. 1735.
*g*) Epiſt. anat. 1738. Epiſt. XII.
*h*) de aquaeduct. auris hum. internae diſſ. 1760
*i*) Mem. de Berlin. 1765.
*k*) Diſſ. de labyrinthi auris contentis. 1777.

non ignobiles, qui aliquid ad illum illuſtrandum contulerunt, inciſores praeteream.

## §. 77.

Remotiſſimae et ſubtiliſſimae radices ſtriarum medullarium transverſarum ad inſtar, in ventriculo quarto vel *nobili* dicto, jam ARCH. PICCOLHOMINI luculenter notatae *l*) conſpiciuntur, et in eo convenit nervus noſter cum primo, quod hae propagines (a VIEUSSENIO, RIDLEYO, HUBERO, TARINO, HALLERO tabulis exhibitae) in initio quaſi pictae tantum appareant, nec niſi colore albo diſtingui poſſint a cinereo ventriculi quarti pavimento; dextri nervi radices ibi adeo propinquae ſiniſtris inveniuntur, ut non niſi ſulco medullam ſpinalem findente, crenae calami ſcriptorii a veteribus aſſimilato, dividantur, quo factum eſt, ut quibusdam dextrae radices continuae ſiniſtris haberentur. Harum fibrarum numerus et directio mire variant, tantumque abeſt, ut illarum habitus conſtans ſit, ut potius raro inter ſe in utroque latere convenientes reperiantur. Vix autem ſatis accurate hanc fabricam in aliorum tabulis exhibitam deprehendes. Hae radices interdum duabus parallelis ſtriis medullaribus in ventriculo quarto conſtruebantur, quarum altera in altero latere nonnunquam duplici ſurculo fiſſa erat; interdum, quotquot eſſent, dextrae radices paulo ſuperiores erant ſiniſtris, interdum vero inferiores; ſaepe etiam in utroque latere tribus propaginibus ortum, nec raro aliquam fibram coalitam, mox fiſſam, iterumque collectam vidi. Adfuiſſe ſeptem HALLERO ad-

*l*) Praelect. Libr. VI. Lect. V. p. 300.

adfirmanti credo, *certum enim esse, se septem exeuntes e ventriculo quarto lineas albas numerasse, raro autem eum numerum adparere* vir fide digniſſimus annotavit *m*); easdem interdum abeſſe, MECKEL pater *n*) ſcripſit.

Diſperſae hae radiculae, quae ſuperne plexu choroideo teguntur, paucarum linearum ſpatium emenſae in unam confluunt inſtitam medullarem, in ventriculi quarti pavimento, teſſelati operis inſtar, adhuc latitantes, quam interdum e ventriculi pavimento elevare potui, et quae mox circum medullam ſpinalem ſub cerebello, quod ipſi incumbit, ſinuoſis flexibus ducta, ab eaque adaucta jam ad baſin pervenit, ibique inter pontem et lobulum cerebelli minimum *o*) emergens, ita ad pontem adplicatur, ut exterius latus communicantis faciei tenens, ab ipſo tamen in margine poſteriore pontis lineolae geom. ſpatio diſtet; confluit tum truncus nervi auditorii cum pontis ſubſtantia, a qua, ut etiam MECKEL Pater *p*) et Filius *q*) annotarunt, tanta incrementa capit, ut a cerebro jam ſeparatus et tenerrimae membranae veſtimento indutus, tertii paris magnitudinem ſaepe exaequet. Duplici ergo loco ejus origines profiſcicuntur, e ventriculo quarto et ponte, in quo et Cl. MECKELIUM Fil. *r*) aſſentientem mihi acceſſiſſe, gaviſus ſum.

## §. 78.

Idem nervus non inepte ob mollitiem, qua in ipſis primordiis

*m*) Elem. phyſiol. T. IV. p. 78.
*n*) Mem. de Berlin. 1765. p. 99.
*o*) Tab. II. E.
*p*) l. c. p. 100. Planche 2. B.
*q*) l. c. §. 24.
*r*) ibid.

diis prae reliquis, excepto olfactorio, omnibus dotatus est, *mollis* dictus, sub ipsum e pontis substantia egressum, interdum pulpae instar simplici constabat trunco *), in quo insculptus erat sulcus, in tabula secunda expressus, in quem nervum communicantem faciei recipiebat; tribus vero vicibus illum in duos, saepius vero plures ramos divisum reperi, quos inter spatium nervo communicante faciei recipiendo relinquebatur: ulterius deinde progrediendo firmior redditur, ita ut in canali communi nervorum auditus aeque durus et fasciculatus ac alii reperiatur.

## §. 79.

Minime vero cum SANTORINO *s*) *universum* nervum, cujus substantiam et fibras cinereas ingredi opinatur, *e scrobe ventriculi quarti prodire*; nec cum VIEUSSENIO *t*) *vago connasci* dixerim.

E vicinitate originum nervi quinti et auditorii elicere studuit VAROLIUS *u*) causam, *cur mutis ablatus etiam sit auditus.* Alii, ut idem VAROLIUS *v*), eorum conjunctionem in ponte, alii eam, quam in ventriculo quarto fieri opinabantur, caussae esse contenderunt, *quod duabus auribus unus sonus percipiatur.*

## §. 80.

Arteriis autem nutritur tam copiosis, ut VAROLIO jam ob-

*) Eundem in encephalis equorum non pulposum in primordiis, sed in ipso ortu innumeris subtilibus filis collectum vidi.

*s*) Obss. anat. p. 68.
*t*) Nevrograph. p. 176.
*u*) Anat. L. I. c. 7. p. 30. 31.
*v*) ibid. Cap. V. p. 26.

obſervatum ſit *x*), hanc rubedinem adventitiam, aqua calida facile abluendam, anatomicis impoſuiſſe, ut pro muſculo hunc nervum haberent. Sic et COOPMANNS *y*), *majorem prae reliquis arteriam habere*, tradidit. Vaſa lymphatica vero cum nervorum truncis verſus labyrinthum delabi, opinatur VALSALVA. Sic formatus, ſuſcepto communicante faciei, arteriaque dotatus nervus auditorius intrat vaginulam durae membranae infundibuliformem, quam *ſinum vaginalem* nominatam egregie expoſuit Ill. COTUNNI *z*).

Quae praeterea de itinere nervi noſtri memorari hic poſſint, ea omnia, peculiari, quam de eo in manibus habeo, libello a me fuſius exponenda, cui etiam originum e ventriculo quarto productarum picturam ſubjungemus, ſtudio hic praetermitto.

*x*) de nervis opt. p. 139.
*y*) p. 121.
*z*) de aquaeduct. auris human. §. 86. p. 159. edit. Viennenſis.

LIBER

# LIBER QUARTUS

## DE NERVIS MEDULLAE SPINALIS CRANIO EGREDIENTIBUS.

### SECTIO I.

### DE NERVO GLOSSOPHARYNGEO.

§. 81.

Quanquam de tribus deinceps jam defcribendis paribus, nervo fcilicet gloſſopharyngeo, vago et linguali medio, in praeſtantiſſimo ANDERSCHII opere ea diligentia actum fit, ut, qui ſuperari poſſit, non intelligam: pauca tamen, qualiacunque, ſupplementi loco illis addere, non abs re futurum credo, praeſertim ea, quae ad hiſtoriam horum nervorum literariam pertinent, quam ſtudio Vir Clariſſimus omiſiſſe videtur.

Quare autem (callide ſane et ſapienter) nervum gloſſopharyngeum a vago ſeparaverit ANDERSCH, ipſe §. 1. rationem reddit: quae ejus verba transſcribere hic liceat, tum quod ad rem meam maxime faciant, tum ut lectoribus (perpaucis enim, ob lugendam viri optimi ſortem, innotuit operis maximi in re anatomica momenti fragmentum typis expreſſum, cui reſpondet tabula, ad Kaltenhoferi delineationem, ab alio tamen, artificio longe inferiori, ſculpta, quam HALLER recudi curavit *a*)) ſpeci-

*a*) in nov, Comm. Soc, Goetting. Tom, II. Tab, I, et II.

ſpecimen exhibeam eorum, quae libro primo *b*) de iſto opere commemoravi. *Ordinem*, inquit, *quem in numerandis capitis nervorum paribus ipſi recentiores Anatomici conſtituerunt, quod permutare ſuſtineam, de eo me facile arbitror veniam impetraturum eſſe, quia alia me ratio non admonuit, quam ipſa anatomia. Crebris quippe diſſectionibus quum obſervarem, hoc novum par capitis nervorum; cujus nervos ipſe* WINSLOWIUS *tamquam capitis nervorum octavi paris, quod nobis nonum par eſt, ſupremos ramos deſcribit, neque in ſuperiori neque in inferiori ſua parte illi coalitum eſſe, quin potius ſingularibus originibus ex medulla oblongata obortum, ſingularibus ductibus e camera encephali demitti; neceſſario ſingulare aliquod par nervorum capitis, ex illis conficiendum eſſe duxi. His accedit, quod ſi horum nervorum caudices conſideramus, non inter minima capitis nervorum paria collocandi veniant. Huic autem probationi diutius inhaerendum non eſſe arbitror, quum ex eorum deſcriptione luculenter appariturum ſit, me non vana ratione adductum capitis nervorum paria multiplicare, et numerum denarium pro vero capitis nervorum parium numero agnoſcere.*

Liceat autem ſtabiliendae ejus ſententiae gratia et ut ſimul a nimii novitatis ſtudii ſuſpicione virum cl. liberemus, praeſtantiſſimorum in arte noſtra virorum argumenta quaedam proferre: praemonitis lectoribus, par noſtrum ab antiquis *ſexto*, a WILLISIO vero *octavo* ſeu *vago pare* comprehenſum, ab ANDERSCHIO a vago ſeparatum et *nervum octavum capitis* dictum fuiſſe, nobis autem cum HALLERO gloſſopharyngei nomine venire.

§. 82.

*b*) pag. 11. ſq.

## §. 82.

GALENUS autem egregie jam perſpexit vagi paris a noſtro ſeparationem, ἀρχὰς, dicens, δ' εὐθὺς ἐξ ἐγκεφάλου τριῶν ἔχει (ἕκτης συζυγίας) νεύρων *c*), ſimulque ad libros adminiſtrationum anatomicarum, temporum injuria ex parte interceptos, provocans, in quibus fuſius hac de re ſe egiſſe dicit; neque, quae ſequuntur c*), dubium relinquunt, quin vocabulo τριῶν indicare voluerit nervum gloſſopharyngeum, vagum, et acceſſorium vulgo dictum. Neque etiam verba haec, ab ORIBASIO repetita *d*), aliter intelligenda eſſe videntur HALLERO *e*). Alio praeterea loco *f*) negligentiae illos accuſat GALENUS, qui nervos hos unum par eſſe arbitrentur. Satis etiam luculenter nervum noſtrum deſcripſit FALLOPIUS g) *ſexta*, dicens, *conjugatio nervum emittit, qui ad muſculos linguae et faucium tendit, majorique ex parte in eo diſſeminatur, quanquam etiam propago quaedam in radicem linguae finiat; haec vagi paris portio anatomicis aliis ignota videtur, quamvis revera adſit.* Recte vero annotarunt MARTINIUS *h*) et HALLER *i*), perperam a FALLOPIO ſibi tribui, quod jam a GALENO obſervatum fuerat. Neque EUSTACHIUM fugiebant *tres propagines* (ſcil. par noſtrum, vagum, et acceſſorium) *ſexti jugi nervorum cerebri, a medulla ſpinali principium ſumentes k*), quas et in tabulis *) adumbravit. Indicaſſe etiam illas videtur WILLIS *l*). Nervum gloſſopharyngeum in infante ſeparatum vidit RUY-

*c*) de nervor. diſſect. cap. VII. p. 244. T. IV. ed. Chart.
c*) ibid. cap. X.
*d*) edit. Dundaſſ. p. 268.
*e*) Bibl. anat. T. I. p. 89.
*f*) de uſu part. L. 9. c. 12.
g) Obſſ. anat.
*h*) Comm. in EUSTACH. tabb. p. 68.
*i*) Elem. phyſiol. T. IV. p. 231.
*k*) Oſſium examen p. 227.
*) tab. XVIII. fig. 2.
*l*) Cerebri anatome cap. XXIII.

RUYSCH, *nervos vagos in utroque latere duobus in locis cranium perforaſſe, exigua portione oſſea interpoſita*, obſervans *m*). Multo diſtinctius illum propoſuit MORGAGNI *n*), eis, quae RUYSCHIUS dixerat, addens: *in omnibus, in quibus adhuc quaeſierit, cadaveribus ſe inveniſſe, unam vel alteram fibram non eodem, quo caeteras vagi fibras, foramine extra cranii vel certe durae meningis caveam egredi; ſed inter has atque illas tenue quaſi ſeptum intercedere, quod ſaepe quidem oſſeum, alias autem, et in mulieribus praeſertim, potius membraneum eſſe, diſſecando intellexerit.* Quas obſervationes novis iterum confirmatas fuiſſe, alio loco tradit *o*). WINSLOW *p*) *nervum noſtrum ſeparatum ortum, ſepto membranoſo a vago in tranſitu per oſſa capitis disterminatum, portionem minorem peculiarem vagi* nominat. C. A. A BERGEN *q*), WINSLOWIUM et MORGANIUM citans, *ortum et exitum probare* dicit, *quod nervorum par peculiare conſtituat. Tribus enim vicibus obſervavi, a caeteris vagi filamentis paululum diſtante loco oriri, et peculiari foramine altius iſto vagi paris ſito cranio exire.* Neque nervum noſtrum omiſit REVERHORST *r*), EUSTACHIUM ſequutus. Egregie etiam Ill. HUBER *), ſummus inciſor, diſtinctum nervum conſtituere, et merito gloſſopharyngeum dici, graviſſimis in medium prolatis argumentis ſtabilivit, et primus illum vena a vago ſeparari annotavit. HEUERMANN *s*), *in quibusdam corporibus omnino*

*m*) Theſaur. anat. I. No. V. n. 4.

*n*) Adverſ. anat. VI. animadv. XII. p. 201.

*o*) Epiſt. anat. XVI. art. XI.

*p*) Expoſit. anatom. Tome III. Traité des nerfs nro. 107. p. 164.

*q*) Progr. p. 11. cit. in HALLERI diſpp. an. ſel. T. VII. P. I. p. 477.

*r*) Diſſ. de fabrica et uſu linguae, L. Bat. 1739. 4. rec. in HALLERI diſpp. an. ſel. Vol. I. §. 61. p. 134.

* I. I. HUBERI epiſt. anatomica ad WOLR. WIGAND de nervo intercoſtali, de nervis octavi et noni paris, deque acceſſorio nonnulla tradens, Goett. 1744. 4.

*s*) Phyſiologie, Theil 2. p. 256.

*omnino, ex obſervatione* CAR. A BERGEN, *peculiare par conſtituere, idque non ſolum ortus ſed etiam finem demonſtrare,* tradit. Ill. LOBSTEIN *t*), *in omnibus ſe vidiſſe vagum in duas portiones diviſum,* affirmat, Diſtinxit illum quidem HALLER *u*), ſed ad peculiaris paris dignitatem non evexit: *non enim ex fibrarum diſtinctarum perpetuo diſcrimine paria numeraturum ſe eſſe,* ait, *ſed ex conſuetudine, qua gloſſopharyngeum cum vago numeratur.* Et alio loco *v*): *ſuperior gloſſopharyngeus (ſive lingualis octavi paris ramus), qui peculiari nonnunquam etiam trunco provenit, et peculiari meatu per duram matrem tranſit, neque ullo modo miſtus, tota vena jugulari a trunco vagi ſeparatur.*

Nervum noſtrum porro obſervavit Illuſtr. COTUNNI *x*), *conſtantia naturae ſumma reliquis a filis nervi vagi ſeparatum eſſe,* dicens. Cl. etiam SABATIER *y*), WINSLOWIUM ſequutus, anteriorem truncum vagi diſtinguit, minorem et gloſſopharyngeum vocans. Nec denique illum Cl. MECKEL Fil. *z*) non obſervavit.

## §. 83.

Nervus vero gloſſopharyngeus (Tab. II. Γ.) utrinque e primordiorum proceſſus cerebelli ad medullam ſpinalem exteriori latere prodit, pone corpora olivaria, mox quatuor, ut ANDERSCH habet, vel quinque diſtinctis, deinceps ſeſe excipientibus,

*t*) de nervo ſpinali ad par vagum acceſſorio. Argent. 1760. p. 32. §. 27.

*u*) Elem. phyſiol. L. X. Sect. V. §. 12. Tom. IV. p. 204.

*v*) ibid. p. 231.

*x*) de aquaeduct. aur. human. §. 80. ed. Vienn. p. 145.

*y*) Tome III. p. 475.

*z*) de labyrinthi auris contentis, p. 50. not. *z*).

tibus, non vero diſperſis, ut par linguale medium, fibris; mox faſciculo majori, cui accedere plerumque ſolet alius minor, in quibus vix ſine macerationis ope minores fibras diſtinguere poſſis; mox vero tribus conſtruitur faſciculis, interdum majori, interdum minori ſpatiolo radicibus ſuis a nervo vago diſtantibus. Plerumque fibram ejus anteriorem minorem reperi; ſemel etiam illius origines, uti in latere tabulae ſecundae ſiniſtro exhibui, ſub margine poſteriore pontis reconditas obſervavi. Harum fibrarum (ut ANDERSCHII verbis utar) *altera alteri preſſim attenditur*, inque trunculum coaleſcunt ſolo pare quarto majorem. Tum ſub lobulo minimo cerebelli *) illique ſubſtrato plexu choroideo procedens, magis magisque a pari vago removetur, non raro venula ab illo ſeparatus; quem naturae conſentaneum habitum tabulae II. latus dextrum refert. Interdum partem illius plexu choroideo veluti obrutam inveni, ſemper vero laxe ipſi tela adhaerebat: interdum ſub ipſam tantum originem nexu facile diſſolubili vago cohaerere illum vidi, ita tamen ut nihilominus primo quaſi obtutu ab eodem ſeparari poſſet.

Illius autem per ſeparatum a vago durae matris foramen tranſitum Tab. II. i. egregie adumbratum exhibuit COTUNNI.

*) tab. II. E.

---

# LIBRI QUARTI

## SECTIO II.

## DE PARE VAGO.

### §. 84.

GALENO *ſextum*, CAROL. STEPHANO *quinta conjugatio*, ALEX. BENEDICTO, A. PICCOLHOMINI et V. HORNIO *ſeptimum conjugium*, VESLINGIO *ambulatorium*, BIDLOO *nonum*, WILLISIO et plerisque *octavum a)* vel *vagum*, WINSLOWIO nervus *ſympathicus medius*, ANDERSCHIO *nonus capitis*, libris ſaepius allegatis, dictum. *Vagi* autem antiquum ſatis nomen, ne absque neceſſitate vocabula immutemus, retinendum eſſe cenſeo.

### §. 85.

Oritur vero, reliquorum nervorum ſpinalium more, fibris collectis, numero admodum inconſtantibus; interdum enim faſciculi, quibus componitur, in plures oculo findi quaſi poſſunt fibras; interdum vix niſi unam vel alteram in quovis faſciculo diſcernere poteris, mox denſius mox rarius ſe excipientes; interdum ſimplicibus oritur faſciculis, qui paulum progreſſi in plura filamenta ſparguntur; interdum vice verſa collectis filamentis prodit faſciculus. Origines autem ducit utrinque ſupra arteriam cerebelli inferiorem pone corpora olivaria, inter nervum

*a*) Octavus REALD. COLUMBIE ramis quibusdam quinti compoſitus; octavus penes CASP. BAUHINUM par ſextum eſt; ADRIANO SPIGELIO nervus primus, BIDLOO vero ſympathicus maximus octavo ſignificatur.

vum gloſſopharyngeum et ad par vagum acceſſorium, e medullae ſpinalis latere exteriori, ita ut faſciculus ejus maxime anterior et ſuperior nervo gloſſopharyngeo contiguus fere ſit; poſterior vero et inferior maxime faſciculus nervo acceſſorio propinquus reperiatur. Horum faſciculorum interdum tres, quatuor vel quinque majores, interdum toto habitu minores, eamque ob cauſam numeroſiores, vel absque cultri macerationisve ope obſervavi, ita ut ſex, imo tredecim vel plures *b*) faſciculos numerare poſſem. In eo vero varietas eſt, quod (uti ante me obſervaſſe lego COOPMANNS *c*) ) duplici interdum ex parte fibrarum ſerie oriatur, radicibus nimirum aliis ex antica, aliis pone illas e paulo poſteriore medullae ſpinalis parte propullulantibus. Sic in eo cadavere, ad quod Tab. I. exarata eſt, quatuor in latere dextro oriebatur faſcibus, quorum duo anterius, reliqui poſterius prodibant. Interdum colliculus veluti parvus exſtat, qui fiſſus quaſi in nervum noſtrum exit.

§. 86.

Tum progredientes radices in rotundum denique colliguntur truncum, alio ac gloſſopharyngeum foramine duram matrem perforantem, quod tenui utplurimum lingula oſſea a foſſa jugulari ſeparatur.

E ventriculo quarto ex parte prodiiſſe viderunt VIEUSSENIUS, SANTORINUS et HEUERMANN, qui e corporibus olivaribus etiam fibras aliquoties acceſſiſſe obſervavit-

*b*) Sic RIDLEY et COWPER, duodecim vel ſedecim fibris componi, annotarunt.

*c*) l. ſaepius cit. p. 127. not. c).

# LIBRI QVARTI

## SECTIO III.

## DE
## PARE LINGUALI MEDIO.

### §. 87.

*Septimi paris* nomine nervus noſter venit fere omnibus, qui a GALENO ad WILLISIUM usque res anatomicas tractaverunt. Alii illum *nervum hypogloſſum, ſublingualem, hypogloſſum magnum* vel *externum*, *guſtatorium* vel *guſtatorium tertium*, *linguae motorium* vel *motorem*, *ſextum*, *octavum*, *decimum* appellarunt. BIDLOO *undecimum et complexum* vocavit, in cujus tabula IX. expreſſus quidem conſpicitur nervus noſter, ſed ſi eandem cum explicatione conferas, portionem quandam vagi noſtri denominatione iſta indicatam a BIDLOO invenies; quod vitium callide correctum eſt a COWPERO: apponi enim curavit huic figurae aſteriſcum nervum nonum denotantem, quem quidem expreſſerat LAIRESSIUS artifex, ſed praetervideratBIDLOO. Plerisque vero cum WILLISIO *nervus nonus cerebri*, vel *par nonum* minus recte audit. Eundem ab ANDERSCHIO egregie deſcriptum et *nervum decimum capitis* nominatum, cum HALLERO *nervum* vel *par linguale medium* (*magnum* aliis placet) dici, aptiſſimum nobis videtur; optime enim eo modo medelam afferri poſſe arbitror confuſioni, quam peperit minus probanda parium enumeratio, qua factum eſt, ut immerito nervus hicce e ſpinalium turma ſe-

grega-

gregaretur. Nuperrime etiam de nervo noſtro egit Cl. BOEHMER *), cujus me amicitia uſum fuiſſe nullo non tempore laetabor.

## §. 88.

Prodit autem radiculis admodum diffitis, ut in viginti quinque diverſae aetatis cadaveribus ſemper obſervavi, ratione fabricae cum quovis alio ſpinali ita conveniens, ut, quo jure ad nervos cerebri illum referre potuerint, non videam *a*). Primae enim ejus fibrillae, in ſuprema et anteriore medullae ſpinalis facie, pone arteriarum vertebralium ſurculos, haud procul ab eo ſulco, qui verſus exteriora medullae ſpinalis corpora pyramidalia a reliqua medulla disterminat, apparent, ita ut illarum ſuperiores et inferiores a ſulco iſto mediis paulo remotius diſtent. Circuli itaque ſegmentum originum nervi noſtri ambitum imitari, non immerito dixerim. Harum praeterea fibrarum quaedam inter corpus pyramidale et prominentiam ſemiovalem (corpus olivare), quaedam ſub illa prodeunt.

## §. 89.

Duplici ſaepe portione conſtruitur, faſciculis e minoribus fibris numero non ſemper eodem collectis conflata *b*); quarum incertus numerus cauſſae eſt, cur a variis varie et deſcriptae et delineatae exſtent; alii enim quatuor, alii octo componi faſciculis dixerunt. Sic variis fibris formatus, paulumque progrediendo

*) in diſſ. inauguralı, de nono pare nervorum cerebri. Goett. 1777.

*a*) Egregie hinc GALENVS jam dixit, ibi oriri, ubi deſinit cerebrum, et medulla ſpinalis incipit; de uſu part. L. 9. c. 12.

*b*) Quod portionem voco, id ANDERSCH faſciculum primarium; quod faſciculum, id ille faſciculum ſecundarium; quod fibram, id funiculum dixit.

diendo vaſorum e vertebralibus arteriis natorum plexibus irretitus, mox vero expeditus, per unum vel duplex durae matris foramen tranſit noſter nervus, inque truncum rotundum, cujus craſſitiem libro primo indicavi, abit.

## §. 90.

Diverſum ſingularum radicum habitum variamque directionem, et quomodo ſuperiores deſcendendo et inferiores aſcendendo cum mediis conjungantur, optime ſpero declaraturas eſſe tabulas, ſumma, quantum fieri potuit, induſtria a me elaboratas, quas etiam ſedulo ut artifex exprimeret, curavi. Deſcriptionem caeterum originis fuſiorem hic annectere poſt ANDERSCHIUM ſupervacuum judicavi; ſatius ducens in eo acquieſcere, ut tabulam, quae origines repraeſentaret, lectoribus exhiberem.

---

Ultimo denique loco cranio egredientium nervorum *acceſſorium* ſubjungerem, ni ill. HUBER *c*), et ill. LOBSTEIN *d*) ita de illo egiſſent, ut illorum deſcriptioni vix quidquam addi queat; ut vero ſe in adultis habet, in tabulis exhibui.

*c*) de medulla ſpinali, Goett. 1741. et in epiſt. ad WIGAND. ib. 1744.

*d*) de pari ſpinali ad par vagum acceſſorio, Argent. 1760.

---

# LIBER QUINTUS

CONTINENS

# EXPLICATIONES TABULARUM.

## TABULA PRIMA.

Exhibet baſin cerebri, quam praebuit vetulae cadaver, magnitudine naturali expreſſam. Vides cerebrum ſolito minus fuiſſe, etenim ſingula quaevis in eo loca, circino prius dimenſa, in tabulam transtuli. Omnia in hoc cerebro in ſitu naturali relicta ſunt, neque quicquam, praeter duorum nervorum primi tertiique paris truncos reflexos in eo immutatum eſſe reperies; etenim vaſa, quo luculentiores nervorum primae propagines evaderent, auferenda erant; horum enim retibus implicitae et quaſi abſconditae latent, iis praecipue in locis, ubi primum e cerebro propullulant; hinc jam DUVERNEY (*traite de l' Ouie Planche IX.*) de neceſſitate vaſa removendi perſuaſus, baſin cerebri pinxit arteriis et venis deſtitutam. Ceterum, quas Ill. CAMPER ſancire ſtuduit, delineandi regulas ſumma qua par eſt diligentia obſervare anniſus ſum; eaque in re eo majori ſucceſſu me uſum fuiſſe vere poſſum contendere, quo magis, ut mihi videbatur, in delineandis animantium et hominum cerebris exercitatus ad hoc negotium accederem. Quas autem promiſit *a)* inciſor et artifex ipſe ſummus Ill. CAMPER baſeos encephali tabulas, ut quamprimum erudito orbi largiatur, in votis habeo maxime: inde enim opuſculum noſtrum vel auctum, vel emendatum iri, (diſcere autem a tanto viro honori mihi duco) non ſine voluptatis ſenſu confido.

Ne

*a)* Vide pag. 1.

Ne tabula nimiis litterulis obruta nitor ejus minueretur, ea ſolummodo, quae ipſi propria ſunt, notulis diſtinxi; quare eos, qui reliquas illius partes notas ſibi reddere forte deſiderent, ad explicationem alterius tabulae relego.

A B C. Cerebrum proprie ſic dictum.

A. Lobus cerebri anterior.

* regio, in qua nonnulli Anatomicorum, quibus perſuaſum erat nervum primum vere dici organum olfactus, denominatio tamen proceſſuum mammillarium deferenda eſſe non videbatur, proceſſus iſtos ſtatuerunt. Vide v. c. BUCRETIUM in explicatione tabularum JULII CASSERII.

α β. Sulcus in eo inſculptus pro recipiendo nervo primo,

α Ejus continuatio ultra origines et β ultra finem nervi primi

γ δ. Linea lobum dextrum anteriorem a ſiniſtro ſeparans; cum adhuc pia matre conjuncti ſint hi lobi, ea linea ſimul indicat marginem inferiorem et interiorem utriusque lobi anterioris.

α γ. Sulcus arteriarum corporis calloſi.

δ. hiatus ille inter lobum anteriorem dextrum et ſiniſtrum, qui termino anteriore et inferiore proceſſus falciformis durae matris ad criſtam Galli alligato repletur.

ε. Sulcus lobum anteriorem a medio lobo diſtinguens, vulgo foſſa Sylvii dictus.

B. Lobus cerebri medius, qui conſtanter anteriore profundidius promittitur, ſique cerebrum, uti in hac tabula, inverſum aſpicis, in collem ſeu prominentiam quandam, (quam elegan-

ter VAROLIUS in *epiſt. de nervis opt. b*) prominentiam mediam et monticulum cerebri vocat) aſſurgit *c*).

Ceterum et latiſſimam cerebri regionem hujus lobi ambitu conſtitui obſervabis.

*η*. Sulcus nunquam deficiens, cui ſuccumbit arteria communicans circuli WILLISII e carotide et baſilari orta.

C. Pars cerebri poſterior, immerito a nonnullis lobus cerebri poſterior vocatur. Ejus omiſſio in quorundam clariſſimorum virorum tabulis cauſae eſt, cur cerebellum ratione cerebri poſterior pars, cum revera pars inferior ſit, appareat.

Sulcos gyrosque non pro arbitrio, ut in plurimorum et recentiorum fere figuris factum eſt, pinxi, ſed ſumma induſtria, ut in reliqua hujus tabulae parte, naturam ducem ſequutus ſum; adeo ut quilibet dijudicare poſſit, quinam ductus ex illis ſint conſtantiores, qui minus conſtantes, et qui anfractus lateris dextri cum illis, qui in ſiniſtro latere reperiuntur, conveniant. Veſtigia vero vaſorum, non veros ſulcos, plane omiſi, cum ſolummodo in ſuperficie cerebri verſentur, neque ullo modo in ſubſtantiam illius penetrent.

D. Hiatus, qui falce durae matris, et quidem ea, quae cruci oſſis occipitis adhaeret, parte repletur, paulum modo diductus.

Cerebellum in baſi in duos lobos dextrum et ſiniſtrum diviſum, medulla oblongata interpoſita.

E. Pars ea cerebelli, qua lobi cohaerent, quae a nonnullis corpori calloſo analoga dicitur; plerique vermem cerebelli eam ap-

*b*) p. 151.

*c*) Monticulum vocat et CORTESIUS decade I. in explic. primae fig. indicans ab aliis proceſſus cerebri laterales vocari.

appellare amant. VIEUSSENSIO *proceſſus* vermiformis poſterior vocatur. Tab. VIII. L. Notandum, quod in figura altera videre eſt, interdum adeo convergere cerebelli lobos, ut niſi cultro ſeparentur hac in regione vermis non appareat. Vallecula inter lobos cerebri dicta pag. 61.

†. 1. 2. Nervus olfactorius dexter integer in ſitu naturali ſulcum ſuum quaſi replens; ſtriae illius albicantes et cinereae alternantes, hoc ſaltim in cadavere vix ſatis luculentae erant.

e. angulus, quem origines in truncum abeuntes conſtituunt.

†. Nervus primus lateſcens.

1. iterum paulum contractus.

2. abiens in *bulbum* cinereum oblongum, quem forte primus accuratius pinxi; in multis quidem figuris latiſſimus ſub finem apparet nervus olfactorius, ut apud VESALIUM, EUSTACHIUM, WILLIS. VIEUSSENS. RUYSCH. DUVERNEY.

a b d. Nervus olfactorius ſiniſtri lateris reflexus, ut modus, quo cinereus ejus *bulbus* ſubſtantiam medullarem amplectitur, appareat.

a. Propago ſive radix externa.

b. alia interna.

d. ſuperior ſive cinerea.

3. Propago haec tertia, quae progrediendo ſenſim ſenſimque anguſtatur, paulo ante eam regionem, ubi nervus in bulbum abit, evaneſcens.

ζb. Sulcus ſuperficiarius, terminus poſterior lobi cerebri anterioris, non ejusdem ſemper altitudinis.

ζ b θ. Locus, ubi lobi anteriores ſub originibus nervorum opticorum confluunt in proceſſum medullarem transverſum.

4. Nervus tertius ſiniſtri lateris reflexus, ut origines ejus luculentiores appareant. Vides, quomodo filamenta radicalia introrſum, antrorſum et extrorſum diſperſa in unum truncum colligantur.

q r 5. Nervus tertius dexter in ſitu naturali.

5. longiorum ejus radicum in ipſo quaſi ortu inflexio.

λ. ſtriae in ponte, quae a poſteriori cerebri parte oblique antrorſum feruntur, quas elegantius in infante modo nato diſtinctiusque vidi.

---

## TABULA SECUNDA.

Encephalon feminae triginta fere annorum, cui laqueus vitam finierat. Praemonendum, hocce cerebrum molis ſuae magnitudine longe ſuperaſſe illud, quod tabula prima et tertia exhibetur. Latius vero apparere cerebrum cauſa eſt, quod ad origines clariores reddendas, diducendae erant quaedam partes; nec nobis cerebrum pondere ſuo planius factum impoſuit, quo vitio multorum tabulae laborant, in quibus diſco potius quam hemiſphaerio ſimile cerebrum conſpicitur.

Dextrum porro encephali latus latitudine a ſiniſtro ſuperari, figuram inſpicienti apparebit, quod eo conſilio a me factum eſt, ut, quantum vulgari pictura eruditior illa ill. CAMPERI methodus delineandi praeſtet, intelligatur. Quod diſcrimen in medulla ſpinali

nali praeprimis obſervabitur, cujus latus dextrum vulgari ſeu optica, ſiniſtrum architectorum fere modo a me delineatum eſt. Jam ſpero fore, ut, quae mea in originibus nervorum delineandis ſint, ex hac potiſſimum tabula tibi, candide Lector, innoteſcant.

*Cerebellum.* Plerumque illius ſulci modo magis modo minus paralleli vel concentrici pinguntur, unde etiam circelli a nonnullis vocantur, vel plane ab aliis omittuntur, vel nimis artificioſe torti, inflexi, recurvi, et incurvi &c. finguntur; quod vitium accuratiori delineatione vitare ſtudui, taedioſa fere ſubtilitate illorum exprimens conjunctiones, ſeparationes, varios curſus, varias latitudines, quae in ſingulorum progreſſu ſaepius vel augentur, vel iterum minuuntur, denuoque increſcunt; arteriarum vero impreſſa veſtigia ſtudio omiſi. Varietatis gratia in tabula praecedente pari induſtria cerebelli lamellatum quaſi habitum, umbris vero diverſimode adjectis, exhibui.

Quatuor vero inprimis flexus in quovis lobo a ſe invicem diſcrepantes in baſi cerebelli conſtanter offendes, nec ab EUSTACHIO in tabulis non expreſſos.

ABCDEFG. Lobus cerebelli dexter.

A. Sulci, quos immerito parallelos appellari figura declarat; *convexi verſus exteriora* potius dicendi.

B. Tubercula lateralia anteriora inferiora cerebelli TARINI, ſive portiones cerebelli proceſſus vermiformes aemulantes RUYSCHII (tab. XV.) kleine Aufſätze, wo die Umwickelungen einen ganz andern Lauf haben, uti HEUERMANNIO vocantur, quae neque nobis non arridet denominatio. Conſtantiſſima horum ſulcorum directio eſt.

C. Partis anterioris ſuperioris cerebelli portio quaedam, ſulcis

cis notata, qui a ſulcis (A) ſi eosdem prolongari tibi fingas decuſſantur. Zwey Theile, wo die Umwickelungen abermals einen andern Lauf haben, ut HEUERMANNIO dicuntur.

D. apex illius, cui adhaeret nervus quarti paris ope telae celluloſae.

E. Tubera quaedam cerebelli, quorum ſulci interdum continuationes ſulcorum C D ſunt, ut in hujus figurae latere tantum ſiniſtro, interdum vero plane ſejuncti ab eis inveniuntur, ut in figura tabulae primae in utroque latere; ſemper vero nervus gloſſopharyngeus, plexusque choroidei pars eis ſuccumbunt et telae celluloſae nexu eis adhaerent.

F. Plexus choroidei pars.

G. Lobi cerebelli pia matre quaſi conglutinati qui alias etiam, ut e tabula prima lit. E conſtat, intermedia quadam cerebelli parte, vermem ajunt, a ſe invicem diſtinguuntur.

H. Locus, ubi lobi cerebri anteriores cum mediis confluunt, quo mediante lobus anterior dexter cum ſiniſtro et medius dexter cum medio ſiniſtro adeo confluunt, ut hoc loco discerni plane nequeant; omnino hic locus *crurum cerebri pars ante nervos opticos locata* nominandus mihi eſſe videtur.

I. Sulcus hoc loco in latere ſiniſtro inſculptus.

K. Crura cerebri ex hoc quatuor loborum cerebri confluxu nata, faſciculis nerveis quaſi compoſita (RIDLEYO proceſſus cerebelli audiunt) crura cerebri *anteriora* TARINI. Pedunculi cerebri, aliorum.

K*. Diſſecti lobi cerebri medii, et diducti, quo clariores nervorum opticorum origines redderentur.

L M O. Thalami nervi optici pars inferior.

M.

M. Tuber ubi deorſum thalami curvantur Günzio dictum: admodum magnum in infante vidi.

N. Sulcus ſeparans hoc tuber a thalamis.

O. Aliud gibber inferius.

ϵϵ. Fovea inter eminentias candicantes et pontem Tarini, cruribus cerebri interpoſita, e qua origines nervorum tertii paris deſcendunt.

P S R. Tuber cinereum, cujus appendix eſt infundibulum, et cujus terminum poſteriorem eminentiae candicantes conſtituunt, quocum tubere nervi optici huc delati coaleſcunt.

Q. Infundibulum, appendix cerebri cinerea et conica.

R. Eminentiae candicantes.

S. Interdum ſulcus quidam hoc tuber (P) ſeparat a cruribus cerebri, interdum vero vix conſpicuus hic ſulcus eſt.

T. Sulcus tractus medullares transverſos (i. e. pontem) ab his cruribus ſeparans.

φ. Receſſus vel *foramen coecum anterius* quoddam quaſi, ſatis profundum, inter crura cerebri et pontem, in quod plexus vaſorum abeunt. (confer Tab. 3. ε. φ. e qua profunditatem hujus foraminis dijudicare poteris).

V. Ψ. U. Pons vulgo Varolii dictus, vel proceſſus cerebelli medullaris medius, vel ſecundus.

U. ſulcus ab impreſſione ſuccumbentis arteriae baſilaris natus.

Ψ. tractus medullares transverſi ſuperficiem ejus inferiorem conſtituentes (luculentiores eos tabula prima demonſtrat).

V V. Crura cerebelli, e quorum mixtione cum cruribus cerebri (k) oritur pons.

X. Confluxus crurum cerebelli cum medulla oblongata.

X ω. Sulcus pontem a medulla ſpinali disterminans.

ω. Receſſus vel *foramen coecum poſterius*, ſub initium ſulci corpora pyramidalia dividentis, in pontem penetrans, recipiendis vaſis deſtinatum. (confer. tab. III. ω).

X Z I. II. III. Y 1. 2. 3. etc. Medulla ſpinalis.

X Z I. II. III. αα. Medulla oblongata proprie ſic dicta.

π. 1 2 3. Medullae ſpinalis vulgo dictum initium.

Z Θ Y. Crura cerebri (k) ſuper pontem emergentia, vulgo corpora pyramidalia dicta (*poſteriora* TARINI).

Z. Θ. An hic eſt "tractus medullaris a ſummo corporum pyramidalium ad corpora olivaria demiſſus" SANTORINI? (p. 66. Obſſ.) Vides eum in regione αg. cum fibris mediis nervi lingualis conjungi - - In ſiniſtro latere hoc in cadavere non apparuit, at in infante admodum conſpicuum in latere ſiniſtro obſervavi.

π. Sulcus corpora pyramidalia profunde dividens; *Rimula inter corpora pyramidalia poſteriora* TARINI.

** Corpora pyramidalia lateralia, vel anteriora TARINI.

αα. Levis impreſſio corpora pyramidalia poſteriora ſuperius a corporibus olivaribus, inferius a corporibus pyramidalibus anterioribus vel lateralibus disterminans.

β. ε. g. Corpora ſive tubercula olivaria.

γ. Proceſſus cerebelli ad medullam ſpinalem in hoc latere, (in quo diduxi lobum cerebelli a medulla ſpinali, ut origines nervi acceſſorii WILLISII diſtinctiores evaderent) latiores quam quidem in altero (χ) conſpiciuntur.

η.

η. Lamellula quaedam (quam ſemel tantum vidi) medullaris communis inter medullam ſpinalem, cerebellum et pontem.

δ. Diſſectio horizontalis medullae ſpinalis.

Subſtantia cinerea interior medullae ſpinalis hic vix ſatis conſpicua erat.

1. Nervus primus olfactorius ſtriis cinereis diſtinctus.
   a. origo ejus medullaris exterior, longior, inferior,
   b. interior, brevior, inferior,
   d. tertia propago cinerea ſuperior,
   e. angulus, quem radiculae medullares formant.
   f. dexter nervus ſub finem fere diſſectus; aliud triangulum ejus diſſectio repraeſentat, ac quidem in nervo ſiniſtro videre eſt.
   g. 1. nervi ſiniſtri propius originem diſſecti triangulum.
2. Nervus opticus.
   h. origo eius remotiſſima e thalamis.
   i. propago e tuberculo thalamorum inferiore.
   k. origines accedentes, dum crura cerebri transgreditur,
   l. quibuscum plane, in regione (l) exteriora verſus confunditur,
   m. interiora vero verſus, ab eis (cruribus) plane ſeparatur.
   n. confuſus cum tubere eminentiarum candicantium,
   o. et cum altero alterius lateris conjunctus.
   p. angulus quem format, dum jam in eo eſt ut ſeparatus a cerebro incedat, conſtruitur lineis 2 p. et p k.
3. Nervus tertius.
   q. origines breviores anteriores.
   r. longiores poſteriores.
   s. locus, quo nervum opticum decuſſat, jam a VAROLIO notatus.

4. Nervus quartus piae matris filis ad cerebelli apicem D alligatus.
5. Nervus quintus.
   t. portio major posterior paulum retrorsum reflexa.
   u. portio minor a WRISBERGIO detecta anterior crassioribus paucioribusque filamentis composita paulum antrorsum flexa.
   v. lingula quaedam pontis intercedens inter has portiones, WRISBERGII.
6. Nervus sextus duplici compositus portione.
   w. major et exterior.
   x. minor interior.
7. Nervus septimus (durus vulgo) communicans faciei, jam fere ex ipso ortu in duos divisus ramos.

Y. *Fibrillae nerveae* (quae nunquam in hac regione desiderantur) *ad par communicans faciei accessoriae* WRISBERGII. cf. §. 73.

8. Nervus auditorius, vulgo *mollis* dictus.
   a. pars originis e ponte, quae brevior est.
   b. altera cinerea circa medullam spinalem circumflexa.
   c. Sulcus in eo excavatus, in quem, EUSTACHIO primum observante, nervum durum recipit.

I. Nervus spinalis primus, sive glossopharyngeus reflexus.
   d. plexus choroidei pars ei incumbens in situ naturali.

Γ. idem nervus dextri lateris in situ plane naturali.

II. Par vagum reflexum, spinalis secundus.

Δ. idem par in situ naturali in dextro latere.
   fibrarum inter $\eta$ et $\gamma$ pars ad par vagum, pars ad par accessorium WILLISII pertinent.

Θ e f g. Nervus lingualis medius, spinalis tertius dexter e pluribus filamentis conflatur, quorum
   e. suprema quae sunt, a sulco $\alpha\alpha$ magis recedunt quam
   g. media, quae plexulum formant, cum striis medullaribus (z) communicantem.
   f. sic et infima remotiora sunt a sulco $\alpha\alpha$.

hae

hae infimae origines infra corpora olivaria ex ipſa medulla ſpinali prodeunt.

III. idem ex parte reflexus ſiniſter, ut nervi acceſſorii radices luculentiores evadant.

IV. Nervus ad par vagum acceſſorius; vulgo WILLISII dictus.

h. non absque ratione ſpatium inter nervum acceſſorium et radices anteriores nervorum cervicalium majus pingitur illo, quod inter eundem et radices poſteriores intercedit, cum ligamento denticulato repleatur.

Z. Nervus acceſſorius ad par vagum dexter, prouti ejus origines in hoc ſitu ſpectatae naturali nulla accedente praeparatione a medulla ſpinali teguntur.

1 k i Par primum cervicis.

1. radices ejus anteriores.

k. radix poſterior et ſuperior cum nervo acceſſorio confluens.

i. radix poſterior inferior duabus propaginibus orta, per furculum aſcendentem communicans cum radice ſuperiore et nervo acceſſorio.

2. n. Par ſecundum cervicis.

2. radices anteriores.

n. poſteriores.

3. p. Par tertium cervicalium.

3. radicum anteriorum et

p. poſteriorum ſeries.

r r r. Veſtigia radicum anteriorum paris primi, ſecundi, et tertii nervorum cervicalium dextri lateris.

---

## TABULA TERTIA.

Sectionem verticalem cerebri exhibet, et eſt quaſi a proceſſu falciformi durae matris inceptae diviſionis continuatio. Haec tabula ad idem cadaver exarata eſt, quod praebuit tabulam primam.

AΓΔC. Cerebri proprie ſic dicti hemiſphaerium dextrum, quod proceſſu falciformi a ſiniſtro diſtinctum, nullibi acie cultri laeſum, quum tantum mediante corpore calloſo cohaereret cum ſiniſtro.

A. pars cerebri ad baſin pertinens, ſive ſuperficiei inferioris fruſtulum.

Γ. pars anterior anguſtior et minus lata poſteriori C. ejus hemiſphaerii.

Δ. pars media.

C. pars poſterior, ſupra cerebrum paulo prominens, quae continuo ſulco a parte anteriore et media ſeparatur, non immerito forte *lobus poſterior* dicenda.

Z. Hiatus, qui a tentorio cerebelli repletur, inter cerebri poſterioris inferiorem partem et cerebelli ſuperficiem ſuperiorem expanſo.

Cerebellum. Cerebro non poſterius, ſed inferius ſitum.

E. pars, quae dicitur *vermis*, medullae ſpinali incumbens.

F. ſuperficies cerebelli poſterior ſulcata.

G. ſumma induſtria depicta medii cerebelli diſſectio, quam vides e lobulis extus ſubſtantia cinerea, intus media quadam *d*), quam excipit medullaris, praeditis, et in lobos confluentibus conſtare. Egregie, ni fallor, tabula VINCENTII MALACARNE *e*) diviſionem cerebelli in lobos, lobulos, laminas et folia illuſtrat, quod multi in tabulis exprimere cupierunt, ſed ab artifice pendentes vix in ea re feliciter verſati ſunt.

a b c d e f. Corpus calloſum *f*) medio diſſectum.

a. deſcendens ejus pars anteriora verſus, ſive margo ejus anterior.

d.

*d*) Subſtantiam hanc fuſco flaveſcentem inter medullarem et cineream mediam expreſſi, quam ſemper obſervare in cerebello memini. Etiam eorum ſententiam, qui dixerunt cerebellum non admodum profundis ſpiris inſculptum eſſe, (v. c. MOLINETTI L. 4. c. 9. p. 191.) refutat haec tabula.

*e*) Nuova eſpoſizione della vera ſtruttura del cervelleto umano. Turin 1776.

*f*) hoc non in medio cerebri ponitur, ſed magis antrorſum. Hinc HALLERO obſervante diſtantia poſterior inter cranium et corpus calloſum minor, anterior vero major reperitur.

b. inflexa poſteriora verſus.
d. ſuperficies ſuperior externa, quae falcem durae matris reſpicit.
e. finis corporis calloſi, ſive margo poſterior.
f f. ſuperficies inferior, lacunar ventriculorum lateralium dicta.
g g g. Lamina dextra ſepti medullaris triangularis intermedii inter ventriculos laterales, quod vulgo *pellucidum* vocant.
h. i. Fornix.
h. crus ejus anterius dextrum, quod ſubſtantia medullari paululum contracta, ad eminentias candicantes pertinere putat Günz *g*).
i. unio vel confluxus cum corpore calloſo; eleganter adeo nonnulli Veterum dixerunt, quod extrinſecus calloſum ſit corpus intrinſecus pſalloeiden (i. e. fornicem) eſſe.
k l m n. Thalamus nervi optici dexter.
k. ſuperficies eius ſuperior.
l. Plexus choroidei medii pars, thalamis incumbens.
m m. linea alba, quae orditur commiſſuram poſteriorem et inferitur centro gemino ſemicirculari.
n n. diſſecta thalami ſubſtantia, qua infra ventriculum tertii conflatur cum altero ſiniſtri lateris.
o. Glandula pinealis, baſi medullari gaudens.
p. q. pedunculi glandulae pinealis, potius proceſſus medullares ad illam miſſi dicendi.
p. Columna medullaris glandulam pinealem alligans thalamo, Tarini, et Meckelii Mem. de Berlin.
q. eadem commiſſurae cerebri poſteriori glandulam pinealem applicans.
r. Commiſſura cerebri anterior diſſecta.
s. Eadem poſterior diſciſſa.
v. Anus *h*), ſive continuatio cavi cerebri, ſive apertura anterior canalis cerebri medii. Aquaeductus Sylvii dicti.
u. Vulva, continuatio cavi cerebri inter crura fornicis.
w x. Corpora quadrigemina.
w. anteriora.
x. poſteriora.
y. Valvula cerebelli, quae melius dici poſſet lacunar ventriculi quarti ſuperius.

z.

*g*) Progr. IIdo de cerebro, p. IV.

*h*) Alii vero s. ſive aperturam anteriorem canalis medii cerebri vulvam et v ſive aperturam ejus poſteriorem anum appellarunt.

z. Plexus choroïdeus quartus HALLERI (Icon. fig. 3. faſc. VII.) ſubſtratus vermi cerebelli.

e ☥ 2. Nervus olfactorius in ſitu naturali ſulco ſuo affixus (conf. tab. I.).

β. Nervus opticus dexter.

γ. Infundibuli diſſecti pars dextra.

δ. Eminentia candicans dextra (duplo majorem GÜNZ interdum obſervavit. Progr. II. pag. IV.).

ε ε. Foveae inter eminentias candicantes et pontem TARINI pars dextra.

ϛ 3. Nervus tertius dexter ex illa fovea oriens; extremi ejus propagines ante diſciſſionis locum evaneſcunt: hinc apparet non coaleſcere illum cum dextro, ut VIEUSSENS aliique putarunt, quanquam fere contigui ſint.

5. peculiaris ejus nervi inflexio.

ϱ χ ⏚ ω. Pons VAROLII diſſectus.

ϛ Φ. foveolae inter crura cerebri et pontem diſſectae facies, foramen coecum pontis anterius dictum.

⏚. ſtriarum in illo ductus.

* in hac regione ſtria medullaris quaedam apparebat.

ω. foraminis coeci poſterioris mihi dicti diſſectio inter pontem et medullam ſpinalem, ſive ſub initium ſulci corpora pyramidalia dividentis, ſiti.

ξ. ſtria cinerea medullam ſpinalem tranſiens, cujus ductum fere ſequi canalem illum medullae ſpinalis CAROLI STEPHANI puto.

ggg. Ambitus ventriculi peculiaris ſepto medullari vulgo pellucido comprehenſi.

3 4. Foveola ante nervorum opticorum confluxum, quam elegantiſſime HALLER Elem. phyſ. Lib. X. Sect. I. §. 18. T. IV. pag. 42. deſcribit: "Pars deſcendens ventriculi extrorſum primo, deinde conflexione facta antrorſum introrſum deſcendit, ſubque fine ſuo anteriori in baſi cerebri ad nervorum opticorum de cerebro exitum finem facit, ſola ibi pia matre tectus, quam ſi removeris jam apertus eſt". Simulque in nota citat TARIN p. 7., qui addit medullam huic laminae piae matris ſuperjacere; in Anthropograph. p. 229. — vero illum uti GÜNZ Progr. II. p. 2. facit apertum. Sic et mihi videtur omnino illam fovealem perfecte non modo

4. ſubſtrata membrana (quae eſt particula piae matris), ſed et incumbente lamina tenui medullari claudi, neque niſi in cerebro vel ruditer tractato, vel jam ad corruptionem vergente apertam reperiri.

u m q 5. Ventriculi tertii ſic dicti pars dextra.

6. pars cavi cerebri diſſecti verſus inferiora ad eam regionem ubi infundibulum ſitum eſt abeuns.

7. Canalis medius *i*) vulgo aquaeductus Sylvii ſub natibus et Valvula cerebelli in ventriculum quartum ducens.

8. 9. 10. Ventriculus quartus, cujus pyramidalem figuram annotavit MUNDINUS.

9. ſuperficies ejus inferior, quae formatur a ſuperficie medullae ſpin.

10. apex ſulci ſuperne medullam ſpinalem dividentis, calami ſcriptorii nomine in ſubſtantiam cineream medullae ſpinalis definens.

*i*) GÜNZ Progr. II. ita vocari tradit.

---

TYPIS Jo. ALB. BARMEIERI.

TABULA . I.





TABULA. II.

*S. Th. Soemmerring ad nat. del. et Pinx.*

*C. C. Glaßbach Fil. sculpsit. Berolini*

TABULA. II.


f
g
1
2
3
4
5
6
7
8
a
b
c
d
e
h
i
k
l
m
n
o
p
q
r
s
t
u
v
w
x
y
z
K*
K*
H
I
P
Q
S
R
K
T
O
N
M
L
D
V
V
C
E
F
Γ
Δ
Ξ
Θ
Y
A
B
G
Z
I
II
III
W
X
U
Ψ
Φ
Π
Σ
Ω
α
β
γ
δ
ε
ζ
η
θ
λ
μ
ν
ξ
π
ρ
σ
τ
φ
χ
ψ



# TABULA. III.

*S. Th. Soemmerring ad nat. del. et Pinx.*

*C. C. Glafsbach Fil. fculps. Berolini.*